BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
6
A
38
NAPOLI

Digitized by Google

6
A
38

Digitized by Google

DE VERO CULTU,

SEU

DIVINARUM INSTITUTIONUM ADVERSUS GENTES L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI

LIBER VI.

Recenſuit, Variantibus Lectionibus, Annotationibus, Caſtigationibus, ac Diſſertationibus illuſtravit

F. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.





ROMÆ, CIↃ. IↃCC. LVII.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI, ET NICOLAI GROSSI

IN ÆDIBUS DE MAXIMIS

SUPERIORUM PERMISSU.

B. R
NEAPOL

Hic eſt enim Divinitati, vel ſi expreſſius dicendum eſt, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo ſignificandum, quoniam mihi ſatis idoneum non occurrit latinum, Græco, uti neceſſe eſt, inſinuo quid velim dicere. Latriam quippe noſtri, ubicumque Sanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt, ſervitutem.

S. Auguſt. *de Civit. Dei* Lib.x. cap.1.

Em̃o , ac Rm̃o Principi

D. JO: ANDREÆ GALLI

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO CONGREGATIONIS CANONIC. REGULAR. MAJORI PŒNITENTIARIO, AC S. INDICIS CONGREG. PRÆFECTO.

FR. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.
S. P. D.

SI gaudendum unicuique eſt, quod propoſitum ſuum aſſequi proſpere contigerit, profecto mihi exultandum nunc erit, PRINCEPS EMINENTISSIME, quoniam votis

meis optime ceſſiſſe video,quod jampridem mente ſtatueram, quum *Tibi* ſiſtendum librum hunc *Divinarum Inſtitutionum* VI. conſtitui. Siquidem & rationes omnes, quæ id officii genus *Tuæ* erga me benevolentię debitum eſſe ſuadebant,perſeverant, & ad eas tam inſignis acceſſio facta eſt, ut quin *Tibi* uni ſit nuncupandus,nemo queat dubitare. In Primis enim meminiſſe juvat, decem fere ab hinc annis, *Te* hortante, Lactantii operum illuſtrandorum me ſuſcepiſſe jucundiſſimum laborem, etſi arduum, difficultatibuſque pleniſſimum: cujus initia quum a *Te* & laudari, & probari noviſſem, in-

incredibiles mihi ſtimulos , & vires quodammodò non ſolum addi, ſum expertus, verum etiam in dies ita augeri, ut labor ipſe jucundior evaderet, & prope finem ſatis feliciter, *Te* opitulante perveniret: abſolutuſque numeris omnibus, atque pleniſſime fuiſſet expolitus, ſi opem mihi *Tuam* univerſæ Rhenanæ Congregationis ſolicitudines, cui & Tua in eam merita, & ſodales *Tui* communibus ſuffragiis, ac ſolemni plauſu, jure, meritoque præpoſuerunt, non tam cito eripuiſſent.

Verum tantæ jacturæ damnum, quod facile reparari non poſſe videbatur, non incongrue

compenſatum, cenſendum eſt, quoniam reliquum opus, quod limandum ſupererat, D.Ab Rita, tuus aliquando auditor, diligentiſſime perluſtravit,&D.Ab. Monſacratus, atque P.D.Joſeph Ridolfi S. Theolog. Lector cum Bononienſi veſtro S. Salvatoris antiquiſſimo Ms. Codice meam hanc editionem incomparabili ſtudio contulerunt; factumque hoc modo eſt, quod per eorundem manus, veluti per ampliſſimos, nitidoſque rivulos, tua in Lactantium meum continuaret perennis beneficentia, quoniam ex iis ſpectatiſſimis Viris unus alteri ea tradidit, quæ primus auribus, & animo, *Te* ſa-

pien-

pientiæ fontes reſerante, hauſe-
rat abundantiſſime.

Quis igitur non videat, CARDINALIS AMPLISSIME, ſponte ſua ad *Te* Lactantium reverti, unde ſplendorem, decoremque omnem ſibi derivaſſe compertum eſt, ut quicquid aut impuri, aut minus elegantis inter manus meas forte contraxit, *Tui* clariſſimi nominis fulgore tergatur? Immo quis adeo habes ſit, ut ignorare queat, nefas fuiſſe, eum diutius retardare, quum jam opportuna ſeſe offeret ad id præſtandum occaſio? *Tu* enim es, qui in eo ſapientiſſimorum virorum Cœtu Præfecturam geris, cui librorum prohibendo-

rum , expurgandorumque cognitio demandata eſt, ac in *Te* mirifice ea omnia adunantur, quæ ad rite id peragendum neceſſaria cenſentur: ſcientia nimirum, ſapientia, juſtitia, atque prudentia, quarum virtutum ſpecimina tot, ac tam præclara hactenus dediſti, ut vix a ſingulis operationibus *Tuis* illarum aliqua ſecerni poſſit, quin ſtatim appareat.

Nulla propterea erroris nota Lactantio meo jure poterit inuri, ſi ſemel a *Te* probatum eſſe, conſtabit. Et quidem hic præſertim liber, qui & *Tuum* immortale nomen præſefert, & de *Vero* Dei *Cultu* argumentum

con-

continet, immunis ab omni iniqua cenſura per manus hominum ſecurus ibit, quum non facile ſit aliquem reperire; qui audeat *Tuo* hac in re ſuum præferre judicium.

Neminem quippe latet virtutum *Tuarum* mirabilis illa cum innata lenitate, ac ſublimi ſapientia ſocietas, quibus & Deo arcto vinculo jungeris, & hominibus clementiſſime copularis; in quarum exercitio quum tota divini cultus ratio, Firmiano teſte, ſita ſit, jam non eſt opus, ut quicquam ultra diſſeratur. Quemadmodum enim ſummæ dignitatis decus iiſdem *Tibi* partum, omnibus imperat obſe-

quium,

quium, & virtutes ipſæ ad amorem, admirationemque ſingulos rapiunt, ſic ſpectata animi *Tui* moderatio, ne in laudes illas excurram, quas *Tibi* promeruiſſe non minus glorioſum eſt, quam coram audire importunum, properanti calamo terminum figit, & obſequens ſilentium indicit.

Quamobrem illud memoraſſe ſufficiat, quod veluti novum argumentum eſt, cujus cauſſa *Tibi* liber iſte debebatur: ſummum ſcilicet *Te* attigiſſe virtutum illarum culmen, de quibus in eo Lactantius agit, & quas tamquam juſtorum proprias appellat, Patientiæ nimirum,

atque

atque Miſericordiæ, quæ non tam dici *Tuæ* poſſunt, quam *Tu* illarum prædicari debes. *Te* namque totum occupant, & apprime decent Majoris Pœnitentiarii munus, quo ſanctiſſime fungeris, efficiuntque, ut qui in graviora ſcelera ſunt delapſi, & diriſſimis innodantur vinculis, veniam, quam Deus ſincere Pœnitentibus pollicetur, obtinendam fore ab homine, per quem danda eſt, non deſperent; ſed potius ita alliciantur, ut qui prius fœdiſſimis macerabantur vulneribus, quæ detegere vel in aure formidabant; nunc non ſolum *Tibi* ſponte aperiunt, & tractanda deponſcunt,

ſcunt; verum etiam, proprio non parcentes pudori, aliis quodammodo revelant, quum & peritiam, & modum, & manſuetudinem, & charitatem, & providentiam, & promptam, ſemperque paratam ad medendum celeritatem, quibus in eorundem ſalutem uſus es, undique prædicant, & ubique proclamant.

Non eſt itaque mihi verendum, ne Tibi pateant, ſi quæ ſuperſunt, in hiſce meis ad Lactantium lucubrationibus errata. Scio equidem qua ad ea emendanda polleas dexteritate; nec dubito, quin officium hocce obſervantiæ erga *Te* meæ ſis ea

hu-

humanitate ſuſcepturus, quæ neſcit quemquam ad ſe confugientem repellere. Quo ipſo, ut novo, eorumque maximo me obſtringes beneficio, ſic Deum O. M. ſupplex orare non deſinam, ut *Te* veræ quacumque patet Eccleſiæ quam diutiſſime ſervet incolumen, & iis omnibus, qui *Tuo* indigent auxilio, expeditum, ſanumque ſemper cuſtodiat.

Dabam ex Collegio noſtro S. Mariæ de Victoria Urbis A. D. III. *Idus Oct.* MDCCLVII.

Fr.

J. ✱ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S. JOSEPH

Præpoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejuſdem Sacri Montis Prior.

TEnore præſentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a Sancto Franciſco Xaverio Sacerdoti Profeſſo Provinciæ Noſtræ Romanæ imprimendi Opera omnia Lactantii Firmiani cum Notis, & Diſſertationibus ſuis a duobus e noſtris Theologis, recognita. Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ, & Joannis a Cruce pridie Kalendas Decembris 1753.

Fr. Raynaldus Maria a S. Joſeph
Præpoſitus Generalis.

Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F.M. de Rubeis Patriar. Conſtant. Viceſg.

APPROBATIONES OPERIS.

DIvinarum Inſtitutionum Libros ſeptem a Cælio Lactantio Firmiano acri judicio conceptos, ſtyloque eleganti exaratos, atque unico volumine comprehenſos, poſt tot editiones ab aliis exornatas, modo

do in lucem publicam profert Admodum Rev. Pater Eduardus a S.Xaverio Carmelitici Ordinis Diſcalceati Alumnus, quondam Sacræ Theologiæ Prælector, atque inter Supremæ Sac. Inquiſitionis Cenſores adſcitus, notis auctos, eruditione multa cum Sacra, tum profana refertos, ac in ſeptem tomos diſtinctos: quos Jubente Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Maſtro Patre Joſepho Auguſtino Orſi Ordinis Prædicatorum, magno animi mei oblectamento a capite ad calcem uſque ſedulò luſtravi, attentèque inſpexi, nihilque, quoad eruditum Editorem attinet, invenire potui, quod Fidei adverſetur Catholicæ, boniſque moribus ſit contrarium, ac in Summos Principes injurium. Ubi ſe offert occaſio clariſſimus Author Veræ Fidei inconcuſſa dogmata, atque Sanctæ Eccleſiæ vetuſtos ritus vindicat, ac tuetur a deliriis, & impoſturis Eterodoxorum, quos ſic impiè obloquentes charitativè admonet, ac blande adhortatur, ut relicta via, quæ ducit ad Tartara, eam ineant, quæ iter pandit ad gloriam. Imo ſi in Textu Lactantiano aliquid offendit, quod ad juſtam Fidei regulam non ſit exactum, vel a Fide ipſa exorbitet, fatetur aperte, aſſeritque, Lactantium in Millenariorum errorem prolapſum, eumdemque erraſſe in libro inſcripto *de Vita beata*, ubi loquitur de Elia, nulla prorſus mentione facta de Enoch contra librum Apocalypſeos. Quod in aliis approbationibus librorum a noſtro Authore editorum abſque ulla aſſentationis umbra me dixiſſe, memini, idipſum repetere, ac confirmare in hacce præſenti, jure debebam. Sic ſentiebam ex Aedibus S. P.Franciſci ad Ripas Tyberis octavo Kalendas Septembris anno reparatæ ſalutis ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto ſupra milleſimum.

F. Franciſcus Antonius a Colle-Longo Ord. Min. Strictioris Obſerv. S.P. Franciſci Sac. Theolog. Lector emeritus, ac Sacr. Rituum Congr.Conſul.

Quod

QUod auctoritate Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, injunctum mihi fuerat, perfeci, maxima, qua potui, ſcilicet, diligentia perlegens Commentaria, & Diſſertationes, quæ in ſingula Lactantii Firmiani Opera elaboravit Vir eruditione præſtans Pater Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio excalceatus Carmelita. In his magna animi voluptate, ingenii acumen, doctrinæ robur, ſcribendi elegantiam, argumentorum vim, & copiam, atque facundiam inſpexi, neque quidpiam, ullibi, obſervare mihi licuit, quod Catholicæ Fidei, honeſtiſque moribus repugnaret: quare ſi, publici juris fiant arbitror plurimam inde legentibus utilitatem provenire poſſe. Romæ ex Monaſterio S. Agnetis extra muros Urbis die xv. Aprilis 1754.

D. Thomas Rita Præſes, & L. Emeritus.

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæteriſque Dotibus, quæ Authorum ſcripta commendant, abunde coruſcant Commentaria, & Diſſertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P. Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio elucubravit,& non ſine ſingulari cum ſui Nominis gloria editurus eſt.Quapropter quum jubente Rmo P.M. Sac. Pal. Apoſt. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eis, quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adverſetur, invenerim, Typis vulganda cenſeo. Romæ ipſis Kal. April. Anni 1754.

Michael Joſeph Morei Arcadiæ Cuſtos Generalis.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Mag. Ord. Prædic.

L. CÆ-

L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI

Divinarum Inſtitutionum Adverſum Gentes,

LIBER SEXTUS

DE VERO CULTU.

CAPUT I.

I.

QUod erat officium ſuſcepti muneris [a], Divino Spiritu inſtruente [b], ac ſuffragante ipſa veritate, complevimus. Cujus aſſerendæ, atque illuſtrandæ cauſſam mihi & ſcientiam [c] fides, & ipſe Dominus noſter impoſuit [d], ſine quo nec ſciri quicquam poteſt, nec explicari.

a *Officium ſuſcepti muneris*. Duo ſibi propoſuerat ab initio Lactantius, quorum primum fuit deſtruere paganorum Religiones; ſecundum vero eos docere, quo cultu eſſet Deus adorandus. Illud præſtitit ſuperioribus libris; nunc jam de altero agere incipit, & quidem a fundamentis.

b *Divino Spiritu inſtruente*: Confeſſionem Sancti Spiritus, tertiæ nimirum auguſtiſſimæ Trinitatis perſonæ, hanc eſſe nemo negaverit, ſi bene hæc cum ſequentibus conferat.

c *Cujus aſſerendæ, atque illuſtrandæ cauſſam mihi, & ſcientiam fides, & ipſe Deus &c.* Hanc Lectionem noſtri Codicis præ cæteris eligo; nam & latina, & caſta eſt. Al. *Cauſſa*. ſexto caſu. Al. *ſcientia*. Al. *fidem*. Al. unam, vel alteram delent copulam. Senſus obvius eſt: *Et fides, & Deus impoſuit mihi cauſſam, & ſcientiam aſſerendæ, atque illuſtrandæ veritatis.*

d *Impoſuit*. Dure dictum hoc videtur Heumanno, qui mallet, & uſurpatum putat pro *dedit*: At non intellexit quid ſibi heic velit Lactantius exprimere. Indicat enim revera ſibi impoſitum onus ſupra vires ſuas, quas tamen, divinis ſuperadditis auxiliis, ferendo ponderi pares fore, firmiter tenet; ut jam in antecedentibus libris profeſſus eſt.

2

Venio nunc ad id, quod eſt ſummum operis hujus, & maximum, ut doceam, quo ritu, quove ſacrificio [a] Deum coli oporteat.

teat. Id enim eſt hominis officium [b], in eoque ſolo ſumma rerum, & omnis beatæ vitæ ratio conſiſtit: quandoquidem propterea ficti [c]; & inſpirati ab eo ſumus, non ut cælum videremus, & ſolem (quod Anaxagoras [d] putavit.) Sed ut artificem ſolis, & cæli Deum pura, & integra mente coleremus.

---

a *Ut doceam, quo ritu, quove ſacrificio*; Bon. non habet primam particulam. Ritus, & Sacrificium important quid externum; ſed non ſtatim de iis Noſter loquitur, ut mox viſuri ſumus.

b *Deum coli oporteat. Id enim eſt hominis officium*. Hæc abſunt a noſtro codice ex librarii oſcitantia. De hoc hominis officio agimus diſſ. XXVIII. cap. IV. ſ. 11.

c *Proptera ficti*: Al. *facti*. Eodem ſenſu.

d *Anaxagoras*. Vide dicta, & indicata ad L. II. cap. IX. ſeg. 4.

3

Quamvis autem præcedentibus libris, pro ingenii mediocritate defenderim veritatem; tamen ex ritu quoque ipſo elucere vel maxime poteſt [a].

 Ni-

---

a *Ex ritu quoque ipſo elucere vel maxime poteſt*. Ritus nihil aliud heic ſignificat, niſi, ut ait Feſtus, morem

rem, in adminiſtrandis ſacrificiis conſuetudine probatum, qui quum apud Paganos, ut Noſter oſtendit, in ſolo externo apparatu, & ut dicitur, in digitis, conſiſteret, jam de ſe patet, verum eſſe non poſſe ob rationem, quam ſtatim adducit. V. ad Cap. II. ſeg. 9.

4

Nihil enim ſancta, & ſingularis illa majeſtas, aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam [a]: quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis pie, ſatis religioſe litavit.

Ho-

---

a *Quam ſolam innocentiam*: Innocentia, inquit Cicero Lib. Tuſcul. III. eſt: *affectio animi talis, quæ noceat nemini*; ſed, ut innocens quis dicatur, & ſit, culpa carere debet, quod contigere non poteſt, niſi officii ſui partes is adimpleat omnes, quæ ſua ab eo exigit conditio. Hominis autem conditio hoc primum ab eo requirit, uti paullo ſupra Lactantius ait, *ut artificem ſolis, ac Cæli Deum, pura, & integra mente coleremus*. Mirum propterea videtur, Betulejum, & exſcriptorem ejus Gallæum heic catholicæ Eccleſiæ incruentum Miſſæ Sacrificium novitatis, ac ſuperſtitionis inſimulare, quum bene noverit, & fateatur, Lactantium heic de his non agere. Mirabilius autem eſt, divinum illud Sacrificium, ac Sacerdotium noſtrum expugnare voluiſſe SS. Patrum authoritate, & & Lactantii ſilentio: *nondum enim*, *inquiens*, *error ille inoleverat, qui tamen interea temporis tantum traxit robur, ut jam fundamentum totius unitatis ſit*.

Sa-

Sacerdotium quoddam ſomniant, quod Judaico, ſive Aaronico dicunt ſucceſſiſſe &c. Nam Lactantius idem de Maximo Sacerdotio ambitioſos quoſdam contendentes Lib IV.Cap.XXX. ſeg. 5. reprehendit, nominatimque objurgat: ne alios memorem, quorum verba opportunius dabimus Diſſ.XXXV. Cap.II. §.V. neque nunc cum inſipientibus hiſce extra chorum inconcinne ſaltare geſtiam.

5

Homines autem neglecta juſtitia, quum ſint omnibus flagitiis, ac ſceleribus inquinati, religioſos ſe putant, ſi templa, ac aras [a] hoſtiarum ſanguine cruentaverint, ſi focos odorati [b], ac veteris vini profuſione madefecerint.

---

a *Religioſos ſe putant ſi templa, ac aras*: Schottus: *atque aras*. De his vide dicta Lib.I.Cap.XX. a ſeg.22.

b *Si focos odorati &c.* Schottus: *Si focos adoleverint*. Al. *adoraverint* Al. *ſi foco*. Noſter heic reſpicit ad antiquum paganorum morem, quo quum ſacrificabant, ignem veteri, ac odorato vino perfundere conſueverant, unde Virgil. Georg.IV. ℣.379.

.....Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.

Et infra ℣. 384.

Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam.

Vide ad Lib.II.Cap.XV. ſeg.13.

6

Quin etiam ſacras dapes apparant, & ex-

exquiſitas epulas [a], quaſi aliquid inde libaturis [b] offerunt. Quicquid aſpectu rarum, quic-

a *Et exquiſitas epulas &c.* Bon. *Æpularum.* Antiquiſſimum hunc morem fuiſſe apud Paganos ex eo quod Herodotus narrat, facile poteſt erui, qui Lib.I. a Cap. 181. ſeq. deſcribens Babilonica ædificia, in turri inferiori templum ſe vidiſſe narrat cum aureo Jovis ſimulacro, & ampla menſa cum ſella, & ſcabello, omnibus ex auro ſolido, octingentorum talentorum pondere. Diodorus Jovi addit Opim pariter in ſella ſedentem, & ſtantem Junonem, quibus menſa communis fuiſſe dicit Lib.III. Cap.IV. Quod autem in hac menſa epulæ apponerentur, quibus Dii veſci putabantur, mox ex Danielis hiſtoria viſuri ſumus. Vide ad Lib.II.Cap.XIV.

b *Quaſi aliquid inde libaturis*; Al. *libaturi* Quomodo Diis ſuis menſas, & dapes pararent Ethnici, eaſque clam comederent Sacerdotes: Vide apud Daniel: Cap.XIV. Apud Romanos Triumvirorum Epulonum Collegium erat, de cujus inſtitutione meminit Livius Lib.XXXIII. c.28., quorum numerus auctus deinde ad ſeptemviralem fuit. Ii ſacris epulis præerant, & cenarum etiam pro adminiſtris curam agebant, quæ *adjacentes* dicebantur. Jovi inprimis, Junoni, ac Dianæ, cæteriſque Diis, atque Deabus ad eos pertinuit epulas indicere. Valerius Max. de his loquens ait Lib.II. cap.I. *Jovis Epulo ipſe in lectulum, Juno, & Minerva in ſellas ad Cenam invitabantur. Et Cicer. Orat. de Haruſp. Reſponſ.* Sect.21. *Epulones Jovis Opt. Max.* commemorat; unde errant, qui eos cum Paraſitis male confundunt, & ex Livio eorum ini-

quicquid opere [c], aut odore pretioſum eſt, id gratum [d] eſſe Diis ſuis non ex aliqua divinitatis ratione [e], quam neſciunt; ſed ex ſuis cupiditatibus judicant, nec intelligunt terrenis opibus Deum non indigere. Nihil enim ſapiunt, niſi terram, bonaque & mala, ſolius corporis ſenſu, & voluptate [f] perpendunt. Hujus arbitrio, ut religionem ponderant, ſic totius vitæ ſuæ acta diſponunt [g].

---

initium addendum eſt Pomponio Leti *de Sacerdotiis*, & Dominico Flocco de *Magiſtr. Popul. Rom.* ubi profitentur, neſcire ſe quodnam officium ſeptemvirorum iſtorum fuiſſet. Apud Athen. Lib. VI. legitur: *Coepulones Herculis XII. viri nobiles eligebantur, quum ei epulum fieret.*

c *Quidquid opere* Bon. *quicquid cruore*.

d *Pretioſum eſt, id gratum*: Bon. *pretioſius, & hæc grata* &c.

e *Non ex aliqua divinitatis ratione.* En quare Diis Gentium dona offerenda non ſunt. Nam jure divino, & naturali vero Numini oblationes fieri debent in recognitionem ſupremi dominii, ac excellentiſſimæ poteſtatis. Vide Diſſ. XXXV. Cap. III. §. XI.

f *Et ſenſu, & voluptate* Bon. *ac voluptate* Al. primam particulam non habent.

g *Acta diſponunt* Bon. *actus*

7

Et quoniam ſe ſemel a cæli contempla-

tione averterunt, ſenſumque illum cæleſtem [a] corpori mancipaverunt, libidinibus frena permittunt, tanquam ſecum ablaturi voluptatem, quam momentis omnibus capere feſtinant [b], quum animus miniſterio corporis, non corpus [c] miniſterio animi uti debeat.

---

a *Senſumque illum cæleſtem*: Intellige rationem humanam; ſicuti diximus ad Lib. *de Opif.* &c.

b *Capere feſtinant*: Bon. *facere*.

c *Quum animus miniſterio corporis: non Corpus* &c. Hæc depravata ſunt in editione Iſæana.

8

Iidem maximum bonum judicant opes; quas ſi [a] bonis artibus aſſequi non poſſunt, malis aſſequuntur, fraudant, rapiunt, ſpoliant, inſidiantur, abiurant, nihil denique moderati, aut penſi habent [b], dummodo auro coruſcent, argento, gemmis, veſtibus [c] fulgeant, avidiſſimo ventri opes ingerant, ſti-

---

a *Quas ſi* Bon. *quas ſibi*.

b *Nihil denique moderati, aut penſi habeant*: Id eſt: *nec conſiderate, nec temperanter agunt*. Bon. *Nihil denique moderationis habent*.

c *Veſtibus*. Schottus *veſtiti*.

d *Fa-*

ſtipati familiarium gregibus [d], per dimotum populum [e] ſemper incedant.

d *Familiarium gregibus*. Al. *familiarum*: prave, nam heic ſermo eſt de ſervorum cœtu, quo ſtipati incedebant Ethnicorum Primores.

e *Per dimotum populum* Al *per domatum* Al. *per devotum*: Prave; Noſter enim reſpicit ad Lictores, & ſervos, qui Dominis, aut Magiſtratibus anteibant, ut plebem de via publica ſubmoverent; de quibus apud Livium L. III c. 48. legitur. *Lictor ſubmove turbam: & da viam Domino*. Ii autem non *familiæ* ſed *familia*, aut *familiares* dicebantur, juxta illud Senecæ Epiſt. 47. *Dominum patrem familiæ, aut familias appellaverunt; ſervos familiares*.

9

Sic addicti, & ſervientes voluptatibus, vim, vigoremque mentis extinguunt: & quum vivere ſe maxime putant, ad mortem concitatiſſime properant [a].

a *Concitatiſſime properant*. Idem L. v. c. I. ſeg. 9. *concitatiſſime tendunt*.

10

Nam, ſicut in ſecundo libro docuimus [a], cæli ratio in animo, terræ autem in

a *In ſecundo libro docuimus*. In Bon. ultima vox non adeſt. V. L. II. cap. XIII. ſeg. 2.

in corpore eſt: qui bona negligunt animi, & corporis appetunt, in tenebris, ac morte verſantur, quæ ſunt terræ, atque corporis: quia vita, & lumen a cælo eſt: cujus, quoniam expertes ſunt, corpori ſerviendo, longe abſunt ab intellectu rerum divinarum.

11

Eadem miſeros ubique cæcitas premit: ſicut enim, qui ſit verus Deus, ita qui ſit verus cultus, ignorant [a].

---

a Vide Diſſ. XXVII. cap. II. §. 5.

CAP. II.

1

MActant igitur opimas [a], & pingues hoſtias Deo, quaſi eſurienti, profundunt vina, tanquam ſitienti, accendunt lumina, velut in tenebris agenti [b].

Quod

---

a *Opimas*. Bon. *primas*. Perſius Sat. III. ℣. 32. ſeq. ſimul jungit *optimum*, & *pingue*.

b *Velut in tenebris agenti*. Non morem, ſed finem heic reprehendit Lactantius, & merito Ethnicos irri-

irridet, qui inſenſibilibus ſimulacris lumina, vina, & hoſtias parabant, tamquam eſurientibus, ſitientibus, atque in tenebris agentibus. Verum non video qua ratione ex iis, quæ heic a Lactantio dicuntur, vitio nobis vertant Remoſtrantes, quod luminibus ardentibus in Eccleſiis noſtris utamur, quum antiquiſſimus ſit mos iſte apud fideles Chriſti, ut demonſtravimus Diſſ. xxxv. cap. III. §. ix. Nec ideo quia ritus aliquis Paganis, vel Hebræis probatus fuit, ſuperſtitioſus, ac Deo inviſus ſtatim cenſendus eſt; ſed prius ad ſacros Eccleſiæ canones, ad Apoſtolicas traditiones, ad antiquos Chriſtianorum conſuetudines exigi debet, ut appareat, congruat ne, an minime cum debito cultu, quo Deus eſt adorandus. Si enim conſtet, aliquod ab Eccleſia Catholica frequentatum, cujus inſtitutionem ignoramus, id nonniſi a Chriſto Domino, aut ſaltem ab Apoſtolis deſcendiſſe, exiſtimandum eſt, ex regula ab Auguſtino tradita, & uſu univerſali recepta. Hoc quippe ſufficit, ut *rationabile ſit obſequium* noſtrum erga Deum, de quo Paulus ad Roman. xII. ℣. 2. hac de re loquens, egregie de more ſcripſit. Epiſtolam Hieronymi ad Auguſtinum, quam heic incongrue obtrudit Betulejus, ab eo aut non lectam, aut non intellectam, cenſeo; nam ibidem *Judæorum* ceremoniæ Chriſtianis perniciosæ eſſe, ac mortiferæ dicuntur, quum, tamquam ex veteri lege proficiſcentes, Chriſtianis obſervandæ proponuntur. Quod nihil cum ritu noſtro commune habet, a quo tam longe abſunt Judæorum, ac Gentilium ceremoniæ, quam tenebræ a luce, & Betulejus a veritate, qui Hieronymum ipſum ad Auguſtinum ſcribentem, adverſus ſemetipſum contra Vigilantium invictiſſime diſputantem

tem, temere heic, ac perfricta fronte non eſt veritus afferre; Immo & argumentis uti, quæ in eadem diſceptatione adverſus Vigilantium fuerant prorſus a S. Doctore protrita.

2

Quod ſi ſuſpicari, aut percipere animo poſſent, quæ ſint bona illa cæleſtia, quarum magnitudinem, terreno adhuc corpore obvoluti, ſenſu capere non poſſumus: jam ſe cum his officiis inanibus, ſtultiſſimos eſſe cognoſcant [a].

a *Cognoſcant*. Heum. *legendum*, inquit, *neceſſario cognoſcerent*. ſed male nam heic *Tò cognoſcant*: Idem valet, ac *tandem aliquando cognoſcant*, *neceſſe eſt*.

3

Quod ſi cæleſte lumen [a], quod dicimus ſolem, contemplari velint, jam ſentiant, quod non indigeat [b] lucernis eorum Deus, qui ipſe in uſum hominis tam claram, tam candidam lucem [c] dedit. Et

a *Quod ſi cæleſte lumen*: Sic Aldus, & Schottus: Al. *vel ſi* &c.

b *Quod non indigeat*. Bon., Aldus, & Al. *quam non indigeant*.

c *Tam candidam lucem*. Ennius apud Ciceron. L. I. *Divin.*

Exin candida *ſe radiis dedit iſta foras* lux.

4

Et tamen quum in tam parvo circulo, qui propter longinquitatem, non amplius, quam humani capitis videtur habere menſuram, tantum ſit fulgoris; ut eum mortalium luminum acies non queat intueri [a]: & ſi pauliſper intenderis, hebetatos oculos caligo, ac tenebræ conſequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud ipſum Deum, penes quem nulla nox eſt, eſſe arbitremur? qui hanc ipſam lucem ſic moderatus eſt, ut neque nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus: tantumque iſtarum rerum dedit ei, quantum aut mortalia [b] corpora pati poſſunt, aut frugum maturitas poſtularet.

---

a *Intueri*. Al. *contueri*.
b *Quantum aut mortalium*. Sic Schottus, & Aldus, Bon. *Tò aut* præponit.

5

Num igitur mentis ſuæ campos putandus eſt, qui authori, & datori luminis [a], candelarum

---

a *Candelarum*, *ac Cerarum*: Schottus, Fulvius Urſin., & Iſæus mallent *Cereorum*; at codicem nultum ſic legentem vidimus.

delarum , ac cerarum lumen offert pro munere [b] ?

b *Pro munere*. Nota heic cautam Lactantii locutionem ; quum enim negare non poſſet Cereorum lumen in Chriſtianorum Sacrificio adhiberi ; Ethnicos tamen jure carpit, quorum munus Diis oblatum, puta Cæreri , filiam quærenti , ſolum lumen erat ; unde ſtatim ſubdit : *aliud vero* &c. quod videre debuiſſent Betulejus , & Gallæus , ne id quod merito Lactantius reprehendit in Ethnicis , nobis inique imponerent, atque improperarent.

6

Aliud vero ille a nobis exigit lumen , & quidem non fumidum , ſed (ut ait poeta) *liquidum , atque clarum* , [a] mentis ſcilicet , propter quod a poetis φῶς nuncupatur [b] , quod exhibere non poteſt , niſi qui Deum agnoverit.

a *Liquidum atque clarum* Lucret. L. v. ℣. 282. *Largus item liquidi fons luminis* &c.

b *Φῶς nuncupatur*. Bon. φώτης Al. *Phanetes*. Al. *fontes*. Al. *Fotes* : Vide L. I c. xxI. ſeg. 8. Ambiguum enim eſt hoc vocabulum , hominem , & lumen ſignificans.

7

Illorum autem Dii , quia terreni ſunt ,

egent

egent luminibus, ne in tenebris ſint. Quorum cultores, quia cæleſte nihil ſapiunt, etiam religiones [a], quibus deſerviunt, ad terram revocant. In ea enim lumine opus eſt, quia ratio ejus, & natura tenebroſa eſt.

---

a *Etiam religiones* Bon. *religionis*.

8

Itaque Diis non cæleſtem ſenſum, ſed humanum potius attribuunt, ideoque illis neceſſaria, & grata credunt eſſe, quæ nobis, quibus aut eſurientibus, opus eſt cibo [a]: aut ſitientibus, potu: aut veſte, algentibus: aut quum ſol deceſſerit, lumine, ut videre poſſimus.

---

a *Cibo*. Bon. *cibus*.

9

Nullis igitur ex rebus tam probari, & intelligi poteſt, Deos iſtos [a], quum aliquando vixerint, mortuos eſſe, quam ex ipſo ritu [b], qui eſt totus e terra. Quid enim cæ-

---

a *Deos iſtos*: Al *ipſos*.
b *Ex ipſo ritu*. Vide ſupra ad cap. 1. ſeg. 5.

cæleſtis [c] in ſe boni poteſt habere pecudum ſanguis effuſus, quo aras inquinant? niſi forte deos exiſtimant eo veſci [d], quod homines aſpernantur attingere.

---

c *Quid enim cæleſtis*. Bon. *ſceleſti*.
d *Eo veſci*. Bon. *eos veſci*.

10

Sed quiſquis [a] illis hanc ſaginam præſtiterit, quamvis ille graſſator, adulter, veneficus, parricida ſit, beatus, ac felix erit. Hunc diligunt, hunc tuentur, huic omnia, quæ optaverit, præſtant.

---

a *Sed quiſquis*. Al. *& quiſquis*.

11

Merito ergo Perſius [a] hujuſcemodi ſuperſtitiones ſuo more deridet [b]:

. . . . *Qua tu* (inquit) *mercede Deorum*
Emeris [c] *auriculas*, *pulmone*, *& lactibus* [d] *unctis*?

Sen-

---

a *Merito ergo Perſius*: Bon. *Merito ergo apertius*.
b *Irridet*. Bon. *irrident*. Perſius Sat. II. a ℣. 29.
c *Emeris*. Bon. *Emeres*.
d* *Lactibus*. Bon. *luctibus*,

12

Sentiebat videlicet, non carne opus eſſe ad placandam cæleſtem majeſtatem, ſed mente ſancta, & juſto animo, & pectore (ut ipſe ait a) quod naturali ſit honeſtate generoſum.

---

a *Ut ipſe ait*: Perſius ibidem, & Lact. Lib. II, cap. IV. ſeg. 11.

13

Hæc eſt religio cæleſtis, non quæ conſtat ex rebus corruptis, ſed quæ virtutibus animi, quæ oritur e cælo. Hic verus eſt cultus, in quo mens colentis, ſeipſam Deo immaculatam victimam ſiſtit.

14

Id autem ipſum quomodo conſequendum, quomodo præſtandum ſit, docebit hujus libri diſputatio. Nihil enim tam præclarum, hominique conveniens poteſt eſſe, quam erudire homines ad juſtitiam.

15

Apud Ciceronem Catulus in Hortenſio philoſophiam a rebus omnibus præferens,

malle ſe dicit, *vel unum parvum de Officio libellum*, *quam longam orationem pro ſeditioſo homine*[b] *Cornelio*. Quæ ſententia non utique Catuli, qui fortaſſe illud non dixit, ſed Ciceronis eſt putanda, qui ſcripſit. Credo ut libros [c] quos de Officiis erat ſcripturus, commendaret: in quibus ipſis, nihil eſſe teſtatur in omni philoſophia melius, & fructuoſius, quam præcepta vitæ dare.

---

a *Catulus in Hortenſio*: Hortenſius titulus erat cujuſdam Dialogi Ciceroniani, qui ad nos non pervenit; Catulus autem in eo inter ſe loquentium unus fuerat.

b *Pro ſeditioſo homine Cornelio*. Is eſt L. Cornelius Balbus Gadius in Hiſpania natus, qui Bello Sertoriano Imperatoribus Romanis quum multum ſe probaviſſet, Civitate Romana donatus fuit a Gneo Pompejo, cujus fuerat Quæſtor. C. Piſone Coſ. fuit Tribunus Plebis, in quo magiſtratu gerendo ob leges ab eo latas, contentiones quamplurimæ ſubortæ ſunt; quare accuſatus de imminutæ majeſtatis Tribunitiæ crimine, quatriduo a Cicerone defenſus fuit: Q. Catulo teſtimonium contra Cornelium dicente. Vide Aſconii Pediani *Comment. in Cicer. orat. pro Corn.*

c *Credo ut Libros*. Al. *libellos*.

16

Quod ſi hoc illi faciunt, quibus non eſt veritas cognita, quanto magis nos facere de-

debemus, qui a Deo eruditi, & illuminati, poſſumus vera percipere? nec tamen ſic docebimus, ut quaſi prima virtutis elementa tradamus, quod eſt infimum; [a] ſed tanquam docendum ſuſceperimus eum, qui apud illos jam perfectus eſſe videatur.

---

a *Quod eſt infimum* Al. *infinitum*. Omnino male; nam ſenſus eſt; ſe nolle hominem ſuſcepere inſtituendum primis officiorum elementis, quæ ſunt, veluti infimi gradus, per quos ad ſummum perfectionis apicem itur; ſed cum iis agere ſe velle profitetur, qui jam illuc perveniſſe falſo ſibi perſuaſerant. Obſerva ergo quem inſtituendum aſſumpſerit hominem Lactantius; ne admirationis tibi cauſſa ſit, quod deſtruendo potius, quam adſtruendo proceſſerit.

17

Manentibus enim præceptis eorum, quæ ſolent ad probitatem recte dari [a], ignota illis ſuperſtruemus, ad perficiendam, conſummandamque juſtitiam, quam non tenent.

---

a *Recte dari*. Aldus. *recte dare*. Plura enim recta Philoſophi docuerunt,

18

Ea vero, quæ poſſunt cum illis eſſe

communia, prætermittam, ne quid ab iis videar mutuari [a], quorum errores coarguere, atque aperire decreverim.

---

a *Prætermittam, ne quid ab iis videar mutuari.* Nota in loquendo de iis, quæ cum Ethnicis Chriſtiani habebant communia, Lactantii noſtri prudentiam, ut ſcias, quare plurima ad ritus pertinentia reticuerit, & ſolummodo manifeſte impia, vel inania, vel ridicula reprehenderit. Hinc enim apparet, quare Noſter quibuſdam, qui ad ſcopum hujuſce ſcriptionis non reſpexerunt, viſus eſt minus apte ſcripſiſſe.

CAP. III.

I

DUæ ſunt viæ, *Conſtantine Imperator* [a], per quas humanam vitam [b] progredi neceſſe eſt: una, quæ in cælum ferat [c], altera, quæ ad inferos deprimat, quas & poë-

---

a *Conſtantine Imperator.* Hæc duo verba a pleriſque abſunt tam typis editis, quam Miſſ. libris, ut in ſuperioribus etiam accidiſſe notavimus. Lactantius heic abſoluto procemio cauſſam pertractare incipit a ſententia ſatis nota, quæ rerum dicendarum eſt veluti fundamentum.

b *Humanam vitam.* Bon. *humana vita.*

c *Quæ in cælum ferat.* Al. *fert.*

d Et

poëtæ in carminibus [d], & philoſophi [e] in diſputationibus ſuis induxerunt [f].

d *Et Poëtæ in carminibus*. Heſiodus inter Græcos, & Anonymus inter latinos, ſub Virgilii nomine circumlatus; de hac litera ſymbolica egerunt, ut notavit Cellarius.

e *Et Philoſophi*: Quorum plurimi poſſent recenſeri; E.g. Xenoph. *In Bivio Erculis*. Cebes. *in Tabula*. Seneca *de Conſt. Sapien.* Cic. 1. *de Offic.* Philo Judæus *de Merc. Meretr.* S. Baſil. *de utilit. ex lib. Gentil.* &c.

f *Induxerunt*: Bon. *induxerint*.

2

Et quidem philoſophi alteram virtutum [a] eſſe voluerunt, alteram vitiorum: eamque, quæ ſit aſſignata virtutibus, primo aditu [b] eſſe & arduam, & confragoſam, in qua ſi quis difficultate ſuperata, in ſummum ejus evaſerit [c], habere eum de cætero planum iter, lucidum, amœnumque campum, & omnes laborum ſuorum [d] capere fructus uberes, atque jucundos.

B 3 Quos

a *Altera virtutum*: Bon. *virtutem*.

b *Primo aditu*: Bon. *primum aditum*, ablata copula, quæ ſtatim ſequitur.

c *In ſummum ejus evaſerit*: Sic ſæpe Livius, ut ex Burman. ad Quintil. bene heic notaverit Bun. Al. *ad ſummum* Bon. omni caret præpoſitione.

d *Et omnes laborum ſuorum*. Al. *laboris*. Heum. Mallet. *omnium laborum*.

3

Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in illam vitiorum viam labi[a], atque deflectere, quæ primo ingreſſu ſit quaſi amœna, multoque tritior[b]: deinde quum in eam[c] paullo ulterius proceſſerint, amœnitatis illius[d] ſpeciem repente ſubduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc ſaxis aſperam, nunc obductam ſentibus, nunc gurgitibus interciſam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere, ſit neceſſe.

---

a *Eos in illam vitiorum viam labi*. Al. *eas in eam* &c. Bon. *lavi* pro *labi*: & ſic etiam paullo infra.

b *Primo ingreſſu ſit quaſi amœna*, & *multo tritior*. Bon. *primo ingreſſus* . . *amœna*. Al. *multoque trivior*. Al. *triſtior*.

c *Quum in eam*. Bon. & Al. *in ea*; quam lectionem propugnat Heum. Bunem. vero noſtram tuetur, & exemplum Senecæ adducit; Errat autem quum, omnes libros habere *in ea* aſſerit.

d *Amenitatis illius*: Al. *ejus*.

4

Quæ omnia eo proferuntur, ut appareat, in virtutibus capiendis, labores eſſe maximos: in perceptis autem, maximos fructus, & ſolidas, atque incorruptas volupta-

ptates : vitia vero quibuſdam delineamentis naturalibus illicere animos [a] hominum, & inanium jucunditatum ſpecie captos, ad acerbas amaritudines, miſeriaſque perducere.

a *Illicere animos* : Bon. *inlicere*. Al. *allicere*.

5

Sapiens prorſus diſputatio, ſi virtutum ipſarum formas, atque terminos ſcirent. Non enim didicerant, vel quæ ſint [a], vel quid eas mercedis a Deo maneat, quod nos his duobus libris docebimus. Hi vero, quia ignorabant, aut dubitabant [b], animas hominum immortales eſſe : & virtutes, & vitia [c] terrenis honoribus, aut pœnis æſtimaverunt.

a *Vel quæ ſint, vel quid* &c. Bon. omittit. primam particulam.

b *Aut dubitabant* : Bon. *& dubitabunt*.

c *Et virtutes, & vitia*. Aldus delet primam copulam.

6

Omnis ergo hæc de duabus viis diſputatio, ad frugalitatem, ac luxuriam [a] ſpectat.

a *Ad frugalitatem, ac luxuriam*. Bon. primam propoſitionem omiſit, & cum copula ſequenti commutavit.

ſtat. Dicunt enim humanæ vitæ curſum Y, literæ eſſe ſimilem, quod unuſquiſque hominum, quum primum adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit:

Parteis ubi ſe via findit in ambas [b]

hæreat nutabundus, ac neſciat in quam ſe partem potius inclinet.

---

b *Partes ubi ſe via findit in ambas*. Ex Virgil. VI. Aen. ℣. 540. Al. primam vocem non habent. Al. *fundit*. Al. *ſcindit*.

7

Si ducem nactus fuerit, qui dirigat [a] ad meliora titubantem, hoc eſt, ſi aut philoſophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honeſtæ artis [b], quo evadat ad bonam frugem, quod fieri ſine labore maximo non poteſt, honeſtam, ac copioſam vitam diſputant peracturum.

---

a *Qui dirigat*. Bon. *derigat*. Adoleſcentes ad uſum rationis ſenſim properantes, optimos habere duces, oportet, ne a via, quæ unice bona eſt, ſtatim aberrent.

b *Aut aliquid honeſtæ artis*. Bon. *aut aliquid honeſtatis*. Al. *aliud honeſtæ artis*.

8

Si vero doctorem frugalitatis [a] non inve-

ve-

venerit, in ſiniſtram viam, quæ virtutis, ac meliorem ſpeciem [b] mentiatur, incidere [c], id eſt, deſidiæ, inertiæ, luxuriæ ſe tradere; quæ ſuavia quidem videtur ad tempus [d], vera bona ignoranti, poſt autem, amiſſa omni dignitate, ac re familiari, in omnibus miſeriis, ignominiaque victurum.

---

a *Fragilitatis*: Bon. *fragilitatis*.
b *Meliorem ſpeciem*. Al. *melioris ſpeciem*.
c *Incidere*: Sic nobiſcum Aldus. Al. *incedere*.
d *Videntur ad tempus*. Heum. *videantur*. Sed nulla ratione id poſtulante.

9

Ad corpus ergo, & ad hanc vitam, quam in terra ducimus, fines earum viarum retulerunt. Poëtæ fortaſſe melius, qui hoc bivium [a] apud inferos [b] eſſe voluerunt. Sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis propoſuerunt. Utrique ergo vere [c], ſed tamen utrique non recte, quia oportuit vias ipſas ad vitam, fines earum ad mortem referri. Nos

---

a *Qui bivium hoc*: Bon. *qui hoc viri* &c.
b *Apud inferos*. Capite ſequenti ex Virgilio oſtendit, quid ſibi heic Lactantius velit.
c *Utrique ergo vere, ſed non recte*: Nam viæ quidem duæ, juſtorum una, impiorum altera, quæ diſpares habent exitus, ſed ambæ in æternitatem mittentes.

10

Nos igitur melius, & verius, qui duas iſtas vias [a], cæli, & inferorum eſſe dicimus, quia juſtis immortalitas, injuſtis pœna æterna propoſita eſt.

---

a *Qui duas iſtas vias*. Bon. *duas juſtas vias*.

11

Quomodo autem hæ viæ [a] vel in cælum tollant, vel ad inferna [b] præcipitent, explicabo. Aperiam, quæ [c] ſint virtutes, quas philoſophi neſcierunt: tum earum quæ ſint præmia, ſimul etiam, quæ ſint vitia, quæve eorum ſupplicia monſtrabo.

---

a *Quomodo autem hæ viæ*. ſic etiam Schottus: Aldus *iſtæ hæc viæ*.

b *Ad inferna*. Bon. *ad infernum*.

c *Aperiam quæ* &c. Bon. *aperiamque ſint* &c. Aldus; & Schottus: *& aperiam*. Al. *aperiamque*. Lectio noſtra gravior eſt, & rerum dicendarum diſpoſitioni congruentior.

12

Nam fortaſſe aliquis expectet, ut ſeparatim de vitiis, ac virtutibus dicam, quum de

de bono [a], aut malo differentibus nobis, etiam quod eſt contrarium poſſit intelligi [b].

---

a *Quum de bono, aut malo*. Bon. *ut de bono, ac de malo*.

b *Poſſit intelligi*: Bon. *poſſet intelligi*.

13

Sive enim virtutes inſeras [a], vitia ſua ſponte decedent, ſive etiam vitia eximas, virtutes ultro ſubibunt. Sic bonorum [b], ac malorum conſtituta natura eſt, ut ſe invicem ſemper oppugnent, ſemper expellant. Ita fit, ut neque vitia detrahi ſine virtutibus poſſint [c], nec virtutes inſeri [d] ſine detractione [e] vitiorum.

---

a *Virtutes inſeras*. Sic Schottus etiam, & meliores. Al. *inferas*.

b *Sic bonorum*. Bon. *ſi bonorum*.

c *Ut neque vitia detrahi ſine virtutibus poſſint*: Al. *ſine moribus* Al. *retrahi*.

d *Virtutes inſeri*. Al. *inferri*: Eadem permutatione, quam paullo ſupra annotavimus.

e *Sine detractione*. Bon. *ſine detractatione*.

14

Has igitur vias longe aliter inducimus, quam a philoſophis induci ſolent. Primum, quod

quod utrique [a] propoſitum eſſe dicimus ducem, utrunque immortalem: ſed alterum honoratum, qui virtutibus, ac bonis præſit, alterum damnatum, qui vitiis, ac malis.

a *Quod utrique*: Bon. *utique*. Ad intelligentiam eorum, quæ heic a noſtro dicuntur, vide annotata a nobis ad Lib.II. Cap.VIII. Seg.4.

15

Illi autem in dexteriore tantum [a] via ducem ponunt, neque unum, neque perpetuum. Siquidem quemlibet doctorem bonæ artis inducunt, qui a deſidia [b] revocet homines, & frugi eſſe doceat. Sed neque ingredi faciunt in eam viam, niſi pueros, & adoleſcentes, videlicet quod artes diſcantur in his ætatibus [c].

a *Dexteriore tantum*. Bon. *in dexteria*.

b *Qui a deſidia* &c. En quare ſeg.9. eos erraſſe dixit, qui ad corpus, & hanc vitam ſolum fines illarum viarum retulerunt.

c *In his ætatibus*. Bon. ordinem verborum immutat. Al. *in iis annis*. Cicero, & Quintilianus eandem vocem in plurali numero adhibuerunt, id obſervante Bunem.

16

Nos autem, omnis ſexus [a], & gene-

ris,

ris , & ætatis , in hoc cæleſte iter inducimus : quia Deus , qui ejus viæ dux eſt , immortalitatem nulli homini nato negat [b]. Forma quoque ipſarum viarum non ita eſt , ut illi putaverunt .

---

a *Omnis ſexus . . . . iter inducimus* . Bon. *inter inducimus* . Bunem. forte inquit legendum : *homines omnis ſexus* &c.

b *Nulli homini nato negat* : Vult enim omnes homines ſalvos fieri . Vide dicta ad Lib. III. Cap. XIX. Seg.7.

17

Quid enim opus eſt Y literæ in rebus contrariis , atque diverſis ? Sed altera illa melior , converſa eſt ad ſolis ortum , altera illa deterior [a] ad occaſum , quoniam qui veritatem , ac juſtitiam ſequitur , is accepto [b] immortalitatis præmio , perenni luce potietur [c]: qui autem ab illo malo duce [d] illectus prætulerit vitia virtutibus , mendacium veritati : neceſſe eſt , ad occaſum , & tenebras deferatur . De-

---

a *Altera illa deterior* . Bon. *ad terra illa* &c.

b *Is accepto* . Bon. ſecundum vocem omiſit .

c *Perenni luce potietur* . Bon. *potiatur* . Al. prima carent voce .

d *Ab illo malo duce* . In Bon. vox tertia deſideratur .

18

Deſcribam igitur utramque, *a* & earum proprietates, habituſque monſtrabo.

---

a *Utramque* Bon. *utrumque*.

C A P. I V.

1

UNa eſt itaque virtutis, ac bonorum via, quæ fert non in Elyſios campos *a* (ut poëtæ loquuntur *b*) ſed ad ipſam mundi arcem.

. . . . At læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Eſt

---

a *Non in Elyſios campos*. Bon. omiſſa negatione legit *in aeliſios*.

b *Ut poëtæ loquuntur*: Paſſim apud Ethnicos vates de Elyſiis ſermo fit. Carmina autem, quæ heic a noſtro recitantur, Virgilii ſunt VI. Æn. ubi a ℣. 540. ait.

Hic locus eſt partes ubi ſe via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit;
Hac iter Elyſium nobis: At læva malorum.
Exercet pœnas &c. De iis vide Servium.

ad Virgil. Æn. L.V. ℣. 735.

2

Eſt enim criminatoris illius [a], qui, pravis religionibus inſtitutis, avertit homines ab itinere cæleſti, & in viam perditionis inducit.

---

a *Criminatoris illius*. I.E. Diaboli, ut ad Lib. II. annotavimus.

3

Cujus viæ ſpecies, & figura ſic eſt compoſita in aſpectu, ut plana, & patens, & omni genere florum, atque fructuum delectabilis eſſe videatur; in ea enim poſuit Deus [a] omnia, quæ pro bonis habentur in terra, opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecèbras omnes: ſed quum his pariter injuſtitiam, crudelitatem, ſuperbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem,

---

a *In ea enim poſuit Deus* &c. Sic omnino legendum rectus verborum ordo poſtulat; non ut Aldus, & Iſæus legunt: *In ea enim poſita ſunt* &c. cum quibus non congruunt, quæ ſequuntur. Nec inde ſequitur, Deum vitiorum authorem eſſe; nam Tò *poſuit* idem heic valet, ac *relegavit*. Ad illud Jerem. XXI. ℣. II. *Hæc dicit Dominus: Ecce Ego dò coram vobis viam vitæ, & viam mortis* &c.

tatem, diſcordiam, ignorantiam, mendacium, ſtultitiam cæteraque vitia.

4

Exitus autem hujus viæ talis eſt. Quum ventum fuerit ad extremum, unde jam regredi non licet, cum omni ſua pulchritudine tam ſubito præciditur, ut non ante quis fraudem proſpicere poſſit, quam, præcipitatus ex altitudine in profundum cadat[a].

---

a *Altitudine in profundum cadat*; Sic etiam. Aldus. Al. *in altitudinem profundam*.

5

Quiſquis enim præſentium bonorum ſpecie captus, & in his conſequendis, ac fruendis occupatus, non prævîderit ea, quæ poſt mortem ſecutura ſunt, ſeque a Deo averterit: is vero [a] ad inferos dejectus, in æternam damnabitur pœnam.

---

a *Is vero* Al. *id vero*. Idem eſt ac ſi diceret, *Is inquam*. Al. adverbium omittunt.

6

Via vero illa cæleſtis, difficilis, & clivo-

voſa [a] propoſita eſt, vel ſpinis horrentibus aſpera, vel ſaxis extantibus [b] impedita: ut eum ſummo labore, ac pedum tritu, cumque magna cadendi ſolicitudine ſit cuique gradiendum.

---

a *Clivoſa*; *Vox*, inquit, Walchius *poetica*. At ea utitur Plinius L.XVII. Cap. XXII. XVII. XXIV. Vide Reimn. heic a Bunemanno laudatum.

b *Saxis extantibus*; Al. *aſtantibus* I. E. *prominentibus*.

7

In hac poſuit [a] juſtitiam, temperantiam, patientiam, fidem, caſtitatem, abſtinentiam, concordiam, ſcientiam, veritatem, ſapientiam, cæteraſque virtutes; ſed ſimul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes.

---

a *In hac poſuit*: Nempe *Deus*, ut ſupra Seg.3.

8

Quiſquis enim ſpem ſuam porrexerit longius [a], & meliora maluerit, carebit his terræ bonis, ut expeditus, ac levis diffi-

---

a *Porrexerit longius*.. Al. *perrexerit*. Prave. Seneca hac phraſi ſæpe uſus eſt.

cultatem viæ ſuperet . Nec enim poteſt , qui ſe apparatu regio circundederit , aut divitiis oneraverit , anguſtias illas vel ingredi , vel tenere ,

9

Unde intelligitur, iccirco malis , & injuſtis facilius provenire [a], quæ cupiant , quia prona , & declivis eſt eorum via : bonis autem , quæ optent , difficile procedere , quia difficili , & arduo itinere gradiuntur .

---

a *Provenire* . Al. *pervenire* .

10

Juſtus ergo , quoniam durum , aſperumque iter ingreſſus eſt , contemptui , deriſui , odio ſit , neceſſe eſt . Omnes enim [a], quos cupiditas,aut voluptas præcipites trahit, nivident ei , qui virtutem capere potuit : & inique ferunt , id habere aliquem , quod ipſi non habent .

---

a *Omnes enim* . Al. *homines enim* .

11

Erit itaque pauper humilis , ignobilis , ſub-

ſubjectus injuriæ, & tamen omnia, quæ amara ſunt, perferens. Et ſi patientiam jugem ad ſummum illum gradum, finemque perduxerit, dabitur ei corona virtutis, & a Deo pro laboribus, quos in vita propter juſtitiam pertulit, immortalitate donabitur.

12

Hæ ſunt viæ [a], quas Deus humanæ vitæ aſſignavit, in quibus ſingulis & bona oſtendit, & mala, ſed ordine præpoſtero, atque converſo. In una enim [b] monſtravit temporalia [c] prius mala cum æternis bonis, qui eſt ordo melior: in altera, temporalia prius bona, quum æternis malis, qui eſt

a *Hæ ſunt ſunt viæ*. Lectorem ſuum moratur heic Betulejus, ut obſervet, Lactantium duas tantummodo vias ponere, quarum una ad Cælum, alia ad Tortara ducit; unde contendit: quod excludantur Lymbi, & Purgatorium; Sed hæc profecto non dixiſſet, ſi paullo attentius locum iſtum perpendiſſet; nam viæ a ſuo quelibet termino denominationem deſumunt: Lymbus autem ſive Puerorum, ſive Patrum, & Purgatorium, termini non ſunt; ſed quædam inter jacentia receptacula, ante terminum harum viarum poſita, ut ſuo loco dicemus.

b *In una enim*. Bon. *in ſua* &c.

c *Temporalia*. Bon. *temporaria*.

mordo deterior : ut quicunque præſentia mala , cum juſtitia [d] delegerit , majora , & certiora conſequatur bona , quam fuerunt illa , quæ ſprevit [e] : quiſquis autem præſentia bona præpoſuerit juſtitiæ , in majora , & longiora incidet mala , quam fuerunt illa, quæ fugit .

d *Cum Juſtitia* Bon. *cum injuſtitia* .
e *Sprevit* Bon. *ſpreſprebit* .

13

Hæc enim vita corporalis [a] , quia brevis eſt , iccirco & bona ejus , & mala , brevia ſint , neceſſe eſt . Illa vero ſpiritalis , quæ huic terrenæ contraria eſt , quoniam ſempiterna eſt , iccirco & bona ejus , & mala ſempiterna ſunt .

a *Vita corporalis* . Sic etiam & Aldus ; & Iſæ Al, *temporalis* .

14

Ita fit , ut & bonis brevibus mala æterna, & malis brevibus bona æterna ſuccedant. Itaque quum ſimul propoſita ſint homini bona , & mala [a] , conſiderare unumquenque ſe-

a *Quum ſimul propoſita ſint homini bona , & mala.*
En

ſecum decet, quanto ſatius ſit, perpetuis bonis [b] mala brevia penſare; quam pro brevibus, & caducis bonis mala perpetua ſuſtinere.

En fine metaphora, quæ hactenus ſub duplici viæ ſpecie, Lactantius diſputaverat, clare, ac dilucide expoſita. Bon.,& Al. cum Aldo: *quum ſemel*.

b *Satius ſit perpetuis bonis*: Sic lego cum Mss. pluribus, edictiſque melioribus, relicta lectione noſtri Cod. depravata, cum qua legit Iſæus; *pro perpetuis bonis*, quæ, ut bene notat heic Bunem. ne latina quidem eſt.

15

Nam ſicut in hoc ſæculo, quum eſt propoſitum cum hoſte certamen, prius laborandum eſt, ut ſis poſtmodum in otio [a]; eſuriendum, ſitiendum, æſtus, frigora perferenda, humi quieſcendum, vigilandum, periclitandum eſt, ut ſalutis pignoribus, & domo & re familiari, & omnibus pacis, ac victoriæ bonis perfrui poſſis.

a *Ut ſis poſtmodum in otio*: Hæc in Bon. Cod. deſiderantur, ubi poſt *laborandum*: ſtatim ſequitur; *initio eſuriendum* &c.

16

Sin autem præſens otium malueris, quam

quam laborem, malum tibi maximum facias, neceſſe eſt : præoccupabit enim adverſarius non reſiſtentem , vaſtabuntur agri , diripietur domus [a] , in prædam uxor, ac liberi venient , & tu ipſe interficiere , aut capiere [b]: quæ omnia ne accidant, præſens commodum differendum eſt , ut majus , longiuſque pariatur .

---

a *Diripietur domus* . Bon. *diripientur Domos* .

b *Venient* , *&* *tu ipſe interficiere* , *aut capiere* . Bon. *veniunt* , *ipſe interficere* , *aut capere* . Schottus . *aut interficere* , *aut* &c.

17

Sic in omni hac vita , quia nobis adverſarium Deus reſervavit , ut poſſemus [a] capere virtutem , omittenda eſt præſens voluptas , ne hoſtis opprimat ; vigilandum , ſtationes agendæ , militares expeditiones obeundæ , fundendus ad ultimum cruor [b] , omnia denique amara , & gravia , patienter ferenda, eo quidem promptius, quod [c] nobis im-

---

a *Adverſarium Deus reſervavit* , *ut poſſemus* . Bon. *Adverſarium Deum* &c. Al. *poſſimus* .

b *Fundendus ad ultimum cruor* . Bon. *fundendum* &c.

imperator noſter Deus præmia pro laboribus æterna conſtituit.

c *Promptius, quod*; Sic nobiſcum plurimi, & optimi, ut infra Cap. VI. Seg. 13. Al. male *eo promptior quo*; ſine ſenſu.

18

Et quum in hac terrena militia, tantum homines laboris exhauriant, ut ea ſibi pariant, quæ poſſunt eodem modo perire, quo parta ſunt: certe nobis nullus labor eſt recuſandus, quo id acquiritur [a], quod nullo modo poſſit amitti.

a *Quo id acquiritur*: Bon. *quibus id* &c. Quam lectionem. Bunem. retinet, & exponit. Mihi vero minime probatur.

19

Voluit enim Deus, qui homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie ſtare, & intentis acriter animis, ad unius hoſtis inſidias [a], vel apertos impetus vigilare: qui nos, ſicut periti, & exercitati duces ſo-

a *Ad unius hoſtis inſidias*. Al. *ad unius vel inviſibilis* &c. Al. *ad inviſibilis hoſtis* &c. Al. *ad inviſibiles*.

ſolent, variis artibus captat, pro cujuſque natura, & moribus ſæviens.

20

Allis enim cupiditatem inſatiabilem immittit, ut opibus ſuis tanquam compedibus illigatos, a via veritatis excutiat. Alios inflammat iræ ſtimulis [a], ut ad nocendum potius intentos, a Dei contemplatione detorqueat. Alios immoderatis libidinibus immergit, ut voluptati, & corpori ſervientes, ad virtutem reſpicere non poſſint. Aliis vero inſpirat invidiam, ut ſuis ipſi tormentis occupati, nihil cogitent aliud, niſi eorum, quos oderint, felicitatem.

---

a *Alios inflammat iræ ſtimulis*. Bon. tertia caret voce.

21

Alios inflat [a] ambitionibus. Ii ſunt, qui ad gerendos magiſtratus omnem vitæ ſuæ operam, curamque convertunt.

Ut faſtos ſignent [b], *& annis nomen imponant*. Quo-

---

a *Alios inflat*: Sic etiam Aldus. Al. perperam iterum heic legunt: *inflammat*.

b *Ut faſtos ſignent, & annis nomen imponant*. Verſus

ſus iſte ; pede claudicans penultimo ; cujuſnam Poëtæ ſit , non memini , nec Philologus hactenus aliquis mihi viſus eſt , qui de eo fecerit mentionem . Plurima heic ex Demſtero congerit Gallæus , quæ ad rem aut nihil , aut parum conferunt , quemadmodum & Walchius ; nam , ut bene obſervat Bunemannus, Lactantii mens eſt , heic ſignificare eos , qui ambitione inflati omnium ore celebrari vellent , & ævo ; ideoque vivente adhuc Lactantio, vel Conſules fieri, unde annis nomina durent , vel rebus a ſe geſtis faſtos repleri, curabant . Seneca L. *De Ira* : *Ambitio non eſt contenta honoribus annuis : ſi fieri poteſt , uno nomine occupare faſtos vult , per omnem orbem titulos diſponere* . &c.

22

Quorumdam cupiditas tendit altius , non ut provincias temporali gladio [a] regant, ſed ut infinita , & perpetua poteſtate dominos ſe dici velint univerſi generis humani.

a *Temporali gladio* : Heum. *temporario* .

23

Quos autem pios viderit , [a] variis implicat religionibus , ut impios faciat . Iis vero , qui ſapientiam quærunt , Philoſophiam in

a *Variis implicat* . Al. *inanibus* . Aldus . noſtram retinet lectionem .

in oculos impingit, uti ſpecie lucis [a] excæcet, ne quis comprehendat, ac teneat veritatem.

a *Uti ſpecie lucis*. Bon., & Aldus *uti ſpeciem*. Al. *ut ſpecie*. Notent hæc, qui libertatem cogitandi promovent.

24

Sic hominibus obſtruxit aditus omnes, & obſepſit vias [a], publicis lætus erroribus, quos ut diſcutere poſſemus, ipſumque authorem malorum vincere, illuminavit nos Deus, & armavit vera, cæleſtique virtute, de qua nunc mihi diſſerendum eſt.

a Obſepſit *vias publicis* &c. Bon. *viæ*. Al. *vias publicas* &c.

CAP. V.

1

SEd prius quam ſingulas virtutes exponere incipio [a], determinanda eſt ipſa virtus, quam non recte Philoſophi definierunt, quid eſſet, aut in quibus rebus, quid operis, quid habeat officii. Nomen itaque ſolum reti-

a *Incipio*: Sic etiam Aldus. Al. *incipiam*.

tinuerunt, vim vero, & rationem, & effectum perdiderunt.

2

Quæcumque autem in definitionem virtutis ſolent dicere, paucis verſibus colligit, & enarrat Lucilius[a]: quos malo equidem ponere, ne dum multorum ſententias refello, ſim longior, quam neceſſe eſt.

a *Lucilius*. Cujus nunc non ſuperſunt niſi fragmenta. Vide quæ de eo diximus ad Cap. IX. L.I., & etiam Lib. huic antecedenti.

3

Virtus Albine eſt, pretium perſolvere verum:
Queis in verſamur[a], *queis vivimus, rebus adeſſe*[b].
Virtus eſt hominis,[c] *ſcire id quod, quæque habeat res.*
Virtus ſcire homini, rectum, utile, quid ſit honeſtum[d]

Quæ

a *Queis in verſamur*: Id eſt: *in queis*, aut *in quibus verſamur*.
b *Rebus adeſſe*: Schottus: *rebu poteſſe*.
c *Virtus eſt hominis*. Al. *homini*.
d *Quid ſit honeſtum*: Bon. *Quid ei ſit* &c.

Quæ bona ; quæ mala item , quid inutile [e] , turpe , inboneſtum .
Virtus , quærendæ finem rei ſcire , modumque .
Virtus , divitiis pretium perſolvere poſſe .
Virtus , id dare , quod reipſa debetur honori ;
Hoſtem eſſe , atque inimicum hominum , morumque malorum .
Contra defenſorem hominum , [f] morumque bonorum ,
Hos magnificare , his bene velle , his vivere amicum [g] .
Commoda præterea patriæ ſibi prima putare .
Deinde parentum , tertia jam , poſtremaque noſtra .

---

e *Inutile . turpe , inboneſtum* : Bon. *utile* ; *turpe* , *inhominiſtum* .

f *Defenſorem hominum* : Bon. *defenſionem* .

g *Vivere amicum* : Bon. *vere amicum* .

4

Ab iis definitionibus , quas Poëta breviter comprehendit M. Tullius traxit officia vivendi , Panætium Stoicum [a] ſecutus ; eaque tribus voluminibus incluſit . Hæc autem quam

quam falſa ſint, mox videbimus, ut appareat, quantum in nos dignatio divina contulerit, quæ nobis aperuit veritatem.

---

a *Panætium Stoicum*: Huic patria Rhodus, Parentes rebus bellicis admodum clari, Antipater Tyrius Præceptor, Scipio Africanus, & Lælius familiares fuerunt. Eum Cicero Principem prope, ac graviſſimum Stoicorum appellat. Ad ejus imitationem libros ſuos *de Officiis* elucubravit; eumque diu vixiſſe conjicit Lipſius ex eo, quod idem Cicero Lib.III. *Officiorum* tradat, XXX. annis editioni librorum eorundem ſuperſtitem illum fuiſſe. De eo mentionem facit Laertius Lib.VII. Seg.41. Strabo Lib.IV. Cicer. Lib. IV. *Acad. queſt.* II. *de finibus* III. *de Divin.* &c.

5

Virtutem eſſe dixit, *ſcire, quid ſit bonum, & malum, quid turpe, quid honeſtum, quid utile, quid minus*: brevius facere potuit, ſi tantum bonum, ac malum diceret, quia nihil poteſt eſſe utile, vel honeſtum, quod non idem bonum ſit [a]: nihil inutile, ac turpe, quod non idem malum. Quod & Philoſophis videtur, & idem Cicero in tertio ſupradicti operis [b] libro oſtendit.

Ve-

---

a *Nihil poteſt eſſe utile, vel honeſtum, quod non idem bonum ſit*. Nam bonum omne dividitur in honeſtum, utile, ac delectabile.

b *Supradicti operis* Nempe L.III. de *Offic.*

6

Verum ſcientia [a] non poteſt eſſe virtus, quia non eſt intus in nobis; [b] ſed ad nos extrinſecus venit. Quod autem tranſire ab altero ad alterum poteſt, virtus non eſt: quia virtus ſua cuique eſt. Scientia igitur [c] alieni beneficii eſt, quia poſita eſt [d] in audiendo, Virtus tota noſtra eſt, quia poſita eſt in voluntate faciendi bona [e]. Si-

---

a *Verum ſcientia*: Al. *ſapientia*.

b *Quia non eſt intus in nolis* Al. *ad intus*; Bon., & alii his vocibus carent. Betulejus heic Lactantium pugnantia dicere aſſerit, quia etiam virtus in nobis nulla eſt, niſi a divino Numine in nobis fuerit excitata. At aliud eſt ad virtutem excitari, aliud eſt propria voluntate virtutes colere, atque in earumdem officiis exerceri. Non enim heic de virtutibus infuſis ſermo eſt, quarum notitiam Philoſophi pagani minime habuerunt; ſed de acquiſitis, ut & quæ præceſſerunt, & quæ ſequuntur oſtendunt. *Fides* quidem *ex auditu*; ſed *corde creditur ad ſalutem*. Ad Rom. X. ℣. 10. & 17.

c *Scientia igitur* &c. De ea ſcientia heic Lactantius loquitur; quæ in notione veri ſita eſt, quæ tamen etſi ab hominibus labore, & ſtudio acquiratur, iiſdem nihil prodeſt ad ſalutem, niſi id fecerint, quod didicerunt. Virtus vero, ſi ſemel acquiratur, ſemper meliorem reddit poſſidentem, eique bona parit uberrima.

d *Quia poſita eſt*: Bon. *quia poſſit res*. Al. *quia poſita res eſt*.

e *In voluntate faciendi boni*. Sic etiam Aldus. Al. *Bonum*. Al. *Bona*. Al. *bene*.

7

Sicut ergo in itinere celebrando [a] nihil prodeſt, viam noſſe, niſi conatus, ac vires ſuppetant [b] ambulandi: ita vero ſcientia nihil prodeſt, ſi virtus propria deficiat.

a *In itinere celebrando*. Hanc lectionem retinet etiam Aldus, Al. *celerando*. Al. *Celando*. Al. *Calcando*. *Celebrare viam*: Ciceroni, eſt eam *frequentare*, aut *celeriter ire*, ut bene heic vidit Bunem. Iccirco nihil mutandum.

b *Suppetat*: Bon. & Iſæus: *ſuppeditent*. Lego cum Aldo, aliiſque bonis, ſenſu ſic poſtulante.

8

Nam fere etiam ii, qui peccant, etſi non perfecte, tamen quid ſit bonum [a], & malum ſentiunt; & quoties aliquid improbe faciunt, peccare ſe ſciunt, & ideo celare nituntur.

a *Quid ſit bonum, & malum ſenſiunt*: Conſcientia nimirum reclamante: *Nil volitum quin præcognitum*.

9

Sed quum eos boni, & mali natura non fal-

ſallat, cupiditate mala vincuntur, ut peccent: quia deeſt illis virtus, id eſt cupiditas recta, & honeſta faciendi [a].

a *Cupiditas recta, & honeſta faciendi*. Per hæc exponitur quid hactenus Lactantius docuerit, & magis magiſque, ex ſequentibus explicatur.

10

Ex hoc igitur apparet, aliud eſſe ſcientiam boni, malique: aliud virtutem, quia poteſt eſſe ſcientia ſine virtute [a], ſicut in plurimis Philoſophorum fuit. In quo, quoniam recte, [b] ad culpam pertinet, non feciſſe, quæ ſcieris recte: voluntas prava [c], & vitioſus animus, quem excuſare ignoratio non poteſt, punietur.

Ergo

a *Quia poteſt eſſe ſcientia ſine virtute*. Bon. *quum poteſt eſſe ſcientiam ſine virtutem*.

b *In quo, quoniam recte* &c. Al. Tò *recte* omittunt. Al. poſtponunt; ut exponente Walchio ſit ſenſus: *In quo, quoniam ad culpam pertinet, recte feciſſe; recte voluntas prava . . . punietur*. Ego vero exiſtimo innuere heic voluiſſe Noſtrum, ad culpam pertinere, aliquem non recte facere, quod recte ſciret, eſſe faciendum. Bun. ad rem Ciceronis verba laudat ex Lib. XIII. *Epiſt. XXII. ad Atticum*: *& ego recte dixi, ubi eſſet, & tibi ille recte negavit*.

c *Voluntas prava*: Bon. *voluptas*.

11

Ergo ſicut virtus non eſt, bonum, ac malum ſcire : ita virtus eſt, bonum facere, malum non facere. Et tamen ſcientia ſic cum virtute conjuncta eſt, ut ſcientia præcedat virtutem, virtus ſequatur ſcientiam : quia nihil prodeſt cognitio, niſi & actio conſequatur [a]

a *Niſi & actio conſequatur* : Al. *ſuſſequatur*. Al. *ſequatur*.

12

Horatius igitur paullò meliùs [a]

Virtus eſt, vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe [b].

Sed inepte, quod [c] eam contrario terminavit, ut ſi diceret : Bonum eſt, quod malum non eſt. Quum enim quid ſit virtus, neſcio, ne vitium quidem, quid ſit, ſcio. Utrumque igitur indiget definitione : quia natura rei

 talis

a *Horatius igitur paullo melius*. Al. addunt : *definivit*. Verſus heic a Lactantio recitatus eſt 41. *Epiſt.I.Lib. I.*

b *Stultitia caruiſſe* : His caret Bon. aliique ea omittunt, Heum. addenda cenſuit.

c *Sed inepte, quod* : Al. *Sed inepte quia*.

talis eſt, ut utrumque aut intelligi, aut non intelligi ſit neceſſe.

13

Verum nos faciamus, quod ille debuit. Virtus eſt iram cohibere, cupiditatem compeſcere [a], libidinem refrenare, id eſt enim, vitium fugere. Nam ferè omnia, quæ fiunt injuſte, atque improbe, ab his oriuntur affectibus.

---

a *Cupiditatem compeſcere.* Bon. *conſpicere.*

14

Si enim commotionis hujus, quæ ira dicitur, impetus retundatur [a], omnes hominum contentiones malæ ſopientur, nemo inſidiabitur, nemo proſiliet ad nocendum.

---

a *Impetus retundatur.* Bon. *ineptus retundatur.*

15

Item ſi cupiditas temperetur, nemo terra, marique graſſabitur: nemo exercitum ducet [a], ut rapiat, & vaſtet aliena.

---

a *Nemo exercitum ducet.* Hinc noſce, quo animo Lactantius dixerit, juſtum non belligeraturum, neque navigaturum ad opes, alieno damno, adipiſcendas.

16

Item ſi ardor libidinum [a] comprimatur, omnis ætas & ſexus retinebit ſuam ſanctitatem [b], nemo quicquam pudendum, aut patietur, aut faciet.

---

a *Si ardor libidinum.* Al. *arbor.* Al. *libaminum.*
b *Sanctitatem.* Intellige. *integritatem*, & præſertim caſtitatis.

17

Ergo univerſa ſcelera, & flagitia, his commotionibus virtute ſedatis [a], ex hominum vita moribuſque tollentur. Quæ ſedatio commotionum, & affectum hanc habet rationem, ut omnia recta faciamus.

---

a *Virtute ſedatis.* Al. *virtutibus ſe datis.*

18

Omne igitur virtutis officium [a] eſt, non peccare, quo profecto fungi non poteſt, qui Deum neſcit: quoniam ignoratio ejus, a quo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia, neceſſe eſt.

D 2 Ita-

---

a *Omne igitur virtutis officium*; Sic etiam Aldus, & Schottus. Al. *omnis igitur* &c. Iſæus: *Nunc igitur.*

19

Itaque ut brevius, & ſignificantius utriuſque rei ſumma officia determinemus, ſcientia eſt, Deum noſſe [a]: virtus, colere, in illo ſapientia, in hoc juſtitia continetur.

---

a *Deum noſſe*. Bon. *Deus noſſe*.

CAP. VI.

1

DIxi, quod erat primum, ſcientiam boni [a] non eſſe virtutem: deinde, quid ſit virtus, & in quo ſit. Sequitur, ut id quoque ipſum, quid ſit bonum, & malum, neſciſſe Philoſophos, breviter oſtendam, quod pene [b] declaratum eſt libro tertio [c], quum de ſummo bono diſputarem.

---

a *Scientiam boni*: Bon. *ſcientia bonis*.
b *Quod pene*. Bon. & Aldus. *quia pæne*.
c *Libro III.* Scilicet Cap. VII. Al. habent: *in libro tertio*.

2

Qui autem, quid eſſet ſummum bonum

num [a], neſcierunt, & in cæteris bonis, maliſve [b], quæ ſumma non ſunt, erraverint neceſſe eſt: quod non poteſt vero judicio [c] examinare, qui fontem ipſum non tenet, unde illa deſcendunt:

---

a *Qui autem, quid eſſet ſummum bonum* &c. Al. ommittunt ultimam vocem:

b *Maliſve*; Bon. *maliſuae*.

c *Quæ non poteſt vero judicio*: Bon. quarta caret voce: Al. *quod non poteſt* &c.

3

Fons autem bonorum Deus eſt, malorum vero ille [a] ſcilicet, divini nominis, ſemper inimicus, de quo ſæpe diximus.

---

a *Malorum vero ille* &c. *Nempe Diabolus*, a quo pravi ſuſcitantur affectus, incenduntur, irritantur; non autem producuntur, ut docebant Manichæi.

4

Ab his duobus principiis [a], bona, malaque oriuntur. Quæ veniunt a Deo, hanc ha-

D 3

---

a *Ab his duobus principiis*: Diverſimode tamen influentibus; Nam Deus bonum in nobis, ac nobiſcum operatur; Diabolus vero malum nobis ſuadet,

habent rationem, ut immortalitatem parent, quod eſt ſummum bonum: quæ autem ab illo altero, id habent officium, ut cæleſtibus avocatum, terreniſque demerſum, ad pœnam interficiant ſempiternam [b], quod eſt ſummum malum [c].

ſuggerit, nec ultra id, quod Deus illi permittit, aliquid moliri poteſt.

b *Ad pœnam interficiant ſempiternam*. Sic lego cum Aldo, Schotto, aliiſque, ubi noſter Ms. Bon. & alii quidam legunt: *ad pœnam interficiunt ſempiternam*. Al. *interficiat*.

5

Non igitur [a] dubium eſt, quin illi omnes, quid eſſet bonum, & malum, ignoraverint, qui nec Deum, nec adverſarium humani generis [b] ſcierint.

---

a *Non igitur* Al. *nam igitur*, & ſic Schottus addito puncto interrogationis.

b *Nec Deum, nec adverſarium humani generis*: Al. *nec adverſarium ejus* Schottus: *Adverſarium Dei*. Sequor lectionem antiquiorum Codicum, præeunte Aldo, non quia aliat Manichæiſmum ſapiat, ut innuit Thomaſius, ſed quia iſta magis menti Authoris explicandæ deſervit, ut bene notat Iſæus.

6

Itaque finem bonorum ad corpus, & ad

hanc

hanc brevem vitam retulerunt, quam ſcilicet ſolvi [a], & occidere, neceſſe eſt: non ſunt progreſſi [b] ulterius, ſed omnia eorum præcepta, & omnia quæ inducunt bona, terræ inhærent, & humi jacent, quoniam ſimul cum corpore, quod eſt terra, moriuntur.

---

a *Quam ſcilicet ſolvi*. Schottus: *quod ſcilicet*.
b *Non ſunt progreſſi* Schottus: *nec ſunt*.

7

Pertinent enim non ad vitam homini comparandam, ſed ad quærendas [a], vel augendas opes, honores, gloriam, potentiam, quæ ſunt univerſa mortalia, tam ſcilicet, quam ille, qui, ut ea ſibi contingerent, laboravit. Hinc eſt illud.

Virtus, quærendæ finem rei [b] *ſcire, modumque*.

---

a *Sed ad quærendas*. Walchius: *ad parandas*.
b *Virtus, quærendæ finem rei* &c. Lucilii verſus eſt Cap. V. Seg. 3. cum aliis recitatus.

8

Præcipiunt enim quibus modis, & quibus artibus, res familiaris quærenda ſit, quia vident male quæri ſolere; ſed hujuſmodi virtus non eſt propoſita ſapienti. Nec enim

virtus eſt, opes quærere, quarum neque inventio, neque poſſeſſio in noſtra poteſtate eſt. Itaque & quæſtu, & obtentu [a] faciliores ſunt malis, quam bonis.

---

a *Itaque & quæſtu, & obtentu*: Mallet Bunem: *& quæſitu*; ſed forte melius eſt *quæſtu*, qua voce non ſolum actio quærendi, verum etiam comparandi, & acquirendi exprimitur.

9

Non poteſt ergo virtus eſſe in iis rebus quærendis, in quarum contemptu, vis ac ratio virtutis apparet, nec ad ea ipſa transfugiet, quæ magno, ac excelſo animo calcare, ac proterere geſtit [a]: neque fas eſt, animam cæleſtibus intentam bonis, ut hæc fragilia ſibi comparet, ab immortalibus ſuis opibus avocari. Sed potiſſimum in iis rebus comparandis, virtutis ratio conſiſtit, quas nobis nec homo ullus, nec mors ipſa poſſit auferre.

---

a *Ac proterere geſtit*. Bon. *protegere*.

10

Quum hæc ita ſe habeant, illud, quod ſequitur, verum eſt.

Ve-

Virtus, divitiis[a] *pretium perſolvere poſſe.*

Qui verſus idem fere ſignificat[b], quod primi duo: ſed neque ipſe, neque quiſquam Philoſophorum ſcire potuit, pretium ipſum, vel quale, vel quod ſit. Id enim Poëta, & illi omnes, quos ſecutus eſt, putaverunt, recte opibus uti, hoc eſt, frugi eſſe: non inſtruere convivia ſumptuoſe, non largiri temerè[c], non effundece in res ſupervacuas, aut turpes rem familiarem.

---

a *Virtus divitiis* &c. Eſt verſus ejuſdem Lucilii Cap. V. jam recitatus.

b *Idem fere ſignificat*; Bon. Tò *fere* non habet.

c *Non largiri temere*. Al. *nec largiri*.

11

Dicet aliquis fortaſſe: Quid tu? negas ne hanc eſſe virtutem? Non equidem nego, contraria enim videar probare, ſi negem. Sed veram nego, quia non illa cæleſtis, ſed tota terrena eſt[a]; quandoquidem nihil efficit, niſi quod remaneat in terra. Quid ſit autem recte opibus uti, & quis ſit[b] ex divitiis fructus

---

a *Sed tota terrena eſt*. Bon. caret verbo. Al. anteponunt *ſit*.

b *Et quis ſit*. Bon. *&* *quid ſit*. Al. *qui ſit*.

ctus petendus, declarabo apertius, quum de pietatis officio loqui cœpero.

12

Jam cætera, quæ ſequuntur, nullo modo vera ſunt. Nam improbis inimicitias indicere, aut bonorum defenſionem [a] ſuſcipere, poteſt cum malis eſſe commune.

---

a *Bonorum defenſionem*. Bon. *honorum*.

13

Quidam enim probitate ficta, viam ſibi [a] ad potentiam muniunt, faciuntque multa, quæ boni ſolent, eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt. Utramque tam facile eſſet [b] præſtare, quam facile eſt ſimulare bonitatem.

---

a *Probitate ficta, viam ſibi*. Bon. *fictam viam*. Vide Valer. Maxim. L.I. ubi *de ficta*, ac ſimulata religione agit, ſi Pantheiſtarum artes noſcere cupis.
b *Tam facile eſſet*. Bon. *tam facile eſt*.

14

Sed ii, quum eſſe cœperint propoſiti, ac voti ſui compotes, & ſummum potentiæ gradum ceperint, tum vero ſimulatione depoſita,

ſita, mores ſuos detegunt, rapiunt omnia, & violant, & vexant: eoſque ipſos bonos, quorum cauſſam ſuſceperant, inſequuntur, & gradus per quos aſcenderant [a], amputant, ne quis illos contra ipſos poſſit imitari.

a *Per quos aſcenderant*. Al. *aſcenderunt*.

15

Verumtamen putemus, hoc officium, nonniſi boni eſſe, ut bonos defendat. At id ſuſcipere, facile eſt: implere, difficile: quia quum te certamini, congreſſionique commiſeris, in arbitrio Dei, non tuo, poſita victoria eſt. Sed [a] plerumque improbi & numero, & conſpiratione ſunt potentiores, quam boni, ut ad eos ſuperandos, non tam virtus ſit [b], quam felicitas, neceſſaria [c].

a *Poſita victoria eſt; ſed*. Al. cum Iſæo *victoria poſita eſt*, *ea*.
b *Non tam virtus ſit*. Bon. *nota virtus ſit*.
c Hinc duella, & hujuſmodi certamina, ut prava, damnantur.

16

An aliquis ignorat, quoties [a] melior, ju-

a *Ignorat quoties*: Bon. *quietis* Al. *quod aliquando*. Al. *aliquoties*.

juſtiorque pars victa ſit ? Hinc ſemper dominationes [a] acerbæ in cives extiterunt.

17

Plena eſt exemplis omnis hiſtoria; ſed nos contenti erimus uno. Gn. Pompejus [b] bonorum voluit eſſe defenſor, ſiquidem pro Republica, pro Senatu, pro libertate arma ſuſcepit. Is tamen victus, cum ipſa libertate occidit, & a ſpadonibus Aegyptiis [c] de-

---

a *Dominationes*. Al. *damnationes*. Forte non male; Nam aliquando ii, qui vehementer de aliquo crimine ſuſpecti erant; ſed convinci non poterant, vel per ſe, vel per alios, inito cum accuſatore certamine, in diſcrimen venire, jubebantur.

b *Gneus Pompejus*. De Pompeji, ac Cæſaris æmulatione loquens Vellejus Paterculus Lib.II. Cap.XLIX. ait: *Alterius Ducis melior videbatur, alterius firmior*. Hinc etiam confirmari aliquo modo videtur, quod diximus ad Cap.XV. libri primi, Lactantium pro Pompejana parte ſtetiſſe, nam ex pluribus exemplis illud Pompeji dumtaxat adducere maluit, eumque bonorum defenſorem appellat.

c *Sſpadonibus Ægyptiis*: Photino hoc tribuit Betulejus; nam ille, ut ipſe ait, loco Ptolomæi adoleſcentis regnum adminiſtrabat. At teſte Appiano Alexandrino L.II. *de Bello Civ.* res ita ſe habuit. *Agebat is* ſcilicet Ptolomæus Cleopatræ frater, *ſuum annum tertium decimum, curatores habens Achillam militiæ, pecuniarum Photinum eunuchum, qui conſultare*

detruncatus [d], inſepultus abjectus eſt.

tare cœperunt de Pompejo, adhibito & Theodoto Samio Rhetore, qui tum præceptor erat pueri: Is author fuit nefarii conſilii, ut ille per inſidias tolleretur in gratium Cæſaris.

d *Detruncatus* &c. *Pompeji Caput per miniſtros Photini reſectum, ſervatum eſt in adventum Caſaris, expectatione maximi præmii; ſed ille nefarium ſcelus pro merito ultus eſt. Reliquum truncum in littore quidam ſepeliit, aggeſto exiguo tumulo, cui alius quiſpiam hanc inſcriptionem addidit.*

Vix caperet Templum, quem parva recondit arena.

Quæ recitata ſint ob memoriam Imperatoris de Romana Reipublica benemeriti, ac noſtrorum Civium amantiſſimi. Vide cætera ſi lubet apud laudatum hiſtoricum.

18

Non eſt igitur virtus, aut hoſtem malorum eſſe, aut defenſorem bonorum, quia virtus incertis caſibus non poteſt eſſe ſubjecta.

Commoda præterea [a] *patriæ ſibi prima putare.*

a *Commoda prætera* &c. Item Lucilii verſus.

19

Sublata hominum concordia, virtus nihil

hil eſt [a] omnino. Quæ ſunt enim patriæ commoda [b] niſi alterius civitatis, aut gentis incommoda? Id eſt, fines propagare, aliis violenter ejectis [c] augere imperium, vectigalia

---

a *Sublata enim hominum concordia virtus nulla eſt*. Bon. *hominum diſcordia nihil eſt*.

b *Quæ ſunt enim Patriæ comoda* &c. *NATURÆ, ſive humanitatis jus conſtringit, & copulat univerſum genus humanum, quod qui violat, naturam violat. Contra quod peccant ſingulæ Respublicæ, & Gentes, quæ aliis propagandorum finium Cauſſa arma inferunt, quum detrahere alteri ſui commodi cauſſa, juxta Ciceronem, magis contra naturam ſit, quam mors quam dolor &c. Hinc præterea colligere licet, jus humanum prorſus aliud eſſe, quam jus Gentium; nam ex jure Gentium bella ſunt orta; bella vero cum jure humanitatis pugnant. In III. officiorum ſequebar Zoſium: ſed jam muto ſuffragium, aſſerens, jus humanum non eſſe jus gentium, quod conſociationem generis humani dirimit, quum hujus proprium ſit, homines uno conjunctionis vinculo ſociare, non dirimere* &c. Hactenus Betulejus, cujus verba interpolata, nomine illius ſuppreſſo, recitans Langletius concludit: Ex hac nota emenda totum hunc Lactantii locum, qui juſtam defenſionem cum iniqua aggreſſione confundit. Sed primus errat, tribuens juri Gentium, quod illi repugnat: ſecundus de Lactanctio aſſerens, quod ille heic non tagit. Vide omnino diſſ. XVIII. Cap. III. & IV. ubi de origine, ac jurium deſſentia agemus, necnon de juſta defenſione; ibidemque non ſolum iis; ſed etiam Barbeyracio reſpondebimus. Vide etiam infra Cap. XVIII.

c *Aliis violenter ejectis*: Sic cum Iſæo legandum

lia facere majora. Quæ omnia non utique virtutes, ſed virtutum ſunt everſiones.

---

puto, ubi Bon., & Aldus legunt: *Aliis . . ereptas*. Al. *ereptis*. De prima rerum acquiſitione, ac de propagatione poſeſſionis agit heic Lactantius, quando ſcilicet diſperſi homines, ut ſibi locum ad habitandum compararent, aliqui non contenti terras inhoſpitas occupare, vicinos ab occupatis jam locis deturbabant, propria commoda quærentes. Jura omnia hæc vetant, quæ nihil majori ſtudio promovere ſtudent, quam diverſorum hominum ſocietatem copulare; ita tamen, ut commodum unius non ſit alterius incomodum, nec alteri quis faciat, quod ſibi fieri nolit. Non alia vero ratione jus Belli introductum eſt, niſi quia injuſte invadentes aliena, & fœdus humanæ ſocietatis lacerantes, non aliter quam armis, & ſervitute poterant coerceri. Unde nec idem dicendum eſt cum Naturæ jure, nec ut iniquum damnandum eſt jus Gentium; ſed ii merito damnandi ſunt, qui æſtu ambitionis, ac cupiditatis ducti, fines ſuos propagare nituntur, ac aliis violenter ejectis, Imperium proprium augere, ut majora faciant vectigalia. Hæc enim erant patriæ commoda, de quibus Lucilius loquebatur; nec de propulſanda ignuria ibi erat ſermo inſtitutus.

20

In primis enim tollitur humanæ ſocietatis conjunctio, tollitur innocentia, tollitur [a] alieni abſtinentia, tollitur denique ipſa

---

a *Tollitur innocentia, tollitur* &c. Bon. primam, Aldus tertiam delet vocem.

ipſa juſtitia, quæ diſcidium [b] generis humani ferre non poteſt, & ubicunque arma fulſerint, hinc eam fugari, & exterminari neceſſe eſt.

---

b *Quæ diſcidium* &c. Al. *diffidium*. Verbum paſſim in Mss., ac prelo editis libris permutata.

21

Verum eſt enim Ciceronis illud [a]: *Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communem generis humani ſocietatem, qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditus tollitur.*

---

a *Ciceronis illud*. Nempe ex Lib. III. *de Offic.* Cap. II. Al. VI.

22

Nam quomodo poteſt juſtus eſſe, qui nocet, qui odit, ſpoliat, qui occidit? Quæ, omnia faciunt, qui patriæ prodeſſe nituntur [a]. Id enim ipſum prodeſſe, quid ſit, igno-

---

a *Qui patriæ prodeſſe nituntur*. Nimirum exercituum duces, qui ad imperium propagandum arma in extraneas gentes, nulla juſta cauſſa movebant.

ignorant, qui nihil putant utile, nihil commodum, niſi quod teneri manu poteſt: quod ſolum teneri non poteſt, quia eripi poteſt.

23

Hæc itaque (ut ipſi appellant) bona, quiſquis patriæ acquiſierit, hoc eſt, qui everſis Civitatibus, gentibuſque deletis, ærarium pecunia referſerit [a] agros ceperit, cives ſuos locupletatiores [b] fecerit, hic laudibus fertur in cælum, id hoc putatur ſumma, & perfecta eſſe virtus. Qui error non modo populi, & imperitorum, ſed etiam Philoſophorum eſt, qui præcepta quoque dant ad injuſtitiam, ne ſtultitiæ, ac malitiæ diſciplina, & autoritas deſit.

a *Pecunia referſerit.* Bon. *refertſerit.*
b *Locupletiores.* Bon. *locupletatiotes.*

24

Itaque quum de officiis [a] ad rem militarem [b] pertinentibus diſputant, neque ad ju-

a *Quum de Officiis* Bon. *de officioſis*.
b *Ad rem Militarem*. Vincentius Gravina L.II. de *Orig. Juris* Cap. XVI. de priſcis Romanis loquens, quos inter gentes juſtitiæ laude cæteris præponit: *Eorum*,

ſtitiam, neque ad veram virtutem accommodatur illa omnis oratio, ſed ad hanc vitam, moremque civilem, quem non eſſe juſtitiam, & res indicat, & ipſe Cicero teſtatus eſt [c].

---

rum, inquit, *Imperium fundatum erat in vertice rationis. Hoc eſt in Atticis legibus, ex uberiori Græciæ ſapientiæ fonte manantibus, & propaganda humanitate in univerſum terrarum orbem utiliſſime dilatatum*; At merito noſter Philodemus non a Sectano ſolum ſatiryco inſperſas eſt ſale, ſed etiam proſa a Gottofrido Moſcovio in Accad: Gottingeſi juris Profeſſore: dato enim quod Romani veteres moribus, ac humanitate præſtarent cæteris nationibus, quæ ab ipſis barbaræ appellabantur, demonſtrandum tamen erat, aliorum barbariem jus tribuiſſe eis, illos ſubjungendi. Utique ante eos Hebræi, Ægyptil, Phænices, ac præſertim Græci, politiſſimis moribus, virtutibuſque, quibus humanitas a barbarie diſtinguitur, longe, lateque floruerunt; potuiſſent ergo potiori ratione Romanos, morum nomine laceſſere, eiſque armis leges humanitatis imponere, antequam:

Græcia capta ferumvictorem cæpit, & artes.
Intulit agreſti latio &c.

Ideo ſapientiſſime Lactantius, nec juſtitiam, nec ſapientiam apud eos fuiſſe, Cicerone teſte, demonſtrat.

c *Et ipſe Cicero teſtatus eſt*. Scilicet L. III. *de Offic.* Cap. III. Al. XVII.

25

Sed nos, inquit, *veri juris, germanæ-*
que

que juſtitiæ [a] *ſolidam , & expreſſam effigiem nullam tenemus . Umbra , & imaginibus utimur ; eaſque ipſas utinam ſequeremur ; feruntur enim ab optimis naturæ , ac veritatis exemplis .*

---

a *Germanæque juſtitiæ* Bon. omiſſa prima voce legit : *permanetque juſtitiam* .

26

Umbra eſt igitur , & imago juſtitiæ , quam illi juſtitiam putaverunt . Quid ſapientiam ? nonne idem confitetur , in Philoſophis eſſe nullam ? *Aut cum Fabricius* , inquit [a] , *aut Ariſtides juſtus nominantur, aut ab illis fortitudinis* [b] , *aut ab hoc juſtitiæ petitur , tanquam a ſapiente exemplum : nemo*

---

a AUT QUUM FABRICIUS , *inquit* , AUT ARISTIDES . Bon. Tò *inquit* non habet. Al. addunt: *Fabricius fortis*, quæ vox a melioribus Lactantii libris , tam typis editis quam Ms.s. abeſt , nec unquam Fabricius inter Romanos fortis eſt habitus; ſed bene juſtus; & Ariſtidi eſt propter juſtitiam comparatus ab eodem Cicer. L.III. Offic. Vide ad Cap.XVIX. Al. XVIII. L. III. Quæ de Ariſtide diximus , verba heic recitata ſunt ex eodem. L.III. *Offic.* Cap. I. Al. IV.

b AUT AB ILLIS FORTITUDINIS : Al. *ab illo* , nempe Fabricio : ſed male nam Tò *ab illis* reſpicit Decios ac

mo enim horum ſic ſapiens eſt [c] , *ut ſapientem volumus intelligi* .

---

ac Scipiones, de quibus paullo ſupra Cicero mentionem fecerat.

c Sic sapiens est. Tò *eſt* ex Bon: Cod: & ex quibuſdam editis reſtituimus.

27

Nec ii, qui ſapientes habentur, & nominantur [a] , M.*Cato* , & C. *Lælius* [b] *ſapientes fuerunt : nec illi quidem ſeptem , ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant* [c] , *ſpeciemque ſapientum* .

---

a Qui sapientes habentur, et nominantur; Al. *ſapientes habiti* , *& nominati* .

b M.Cato, et C. Lælius. De quibus nos ſupra diximus.

c Gerebant; Bon. generabant.

28

Si ergo & Philoſophis[a], ipſorum confeſſione, adempta ſapientia eſt, & iis, qui juſti habiti ſunt, adempta juſtitia eſt: omnes igitur illæ virtutis deſcriptiones falſæ ſint, ne-

---

a *Si ergo & Philoſophis* Al. omittunt Tò *ergo*, Al. pro *&* legunt: *ex* .

neceſſe eſt, quia quæ ſit virtus vera, ſcire non poteſt, niſi juſtus, ac ſapiens. *Juſtus autem, ac ſapiens* nemo eſt, niſi quem Deus præceptis ſuis cæleſtibus erudivit [b].

---

b *Niſi quem* Aldus. *niſi quod*.

CAP. VII.

1

JAm illi omnes, qui per aliorum confeſſam ſtultitiam ſapientes exiſtimantur, ſpecie virtutis inducti, umbras, & imagines apprehendunt; nihil verum: quod ea ſit ratione, quoniam via illa mendax, quæ fert ad occaſum, multos tramites habet propter ſtudiorum, & diſciplinarum [a] varietatem, quæ ſunt in vita hominis diſſimiles, atque diverſæ.

---

a *Studiorum, ac diſciplinarum*. Bon. *diſciplinam*. Al. *diſcipulorum*.

2

Nam ſicut via illa ſapientiæ habet aliquid ſimile ſtultitiæ, quod libro præcedente [a] monſtravimus: ita hæc, quum ſit tota ſtul-

---

a *Quod libro præcedente*. Scilicet L.V. Cap XV. & ſeq.

ſtultitiæ, habet aliquid ſimile ſapientiæ, quod arripiunt ii, qui ſtultitiam publicam intelligunt: & ut habet vitia manifeſta, ſic habet aliquid, quod ſimile eſſe videatur virtuti: ut habet apertum ſcelus, ſic imaginem quandam, ſpeciemque juſtitiæ.

3

Quomodo enim præcurſor [a] ejus viæ, cujus vis, & poteſtas omnis in fallendo eſt, univerſos in fraudem poſſet inducere, niſi veriſimilia hominibus oſtentaret [b]? Deus enim, ut immortale illud [c] arcanum ejus in operto eſſet [d], poſuit [e] in via ſua, quæ homines pro

a *Quomodo enim Præcurſor*. Scilicet *Diabolus*. Al. *percurſor* Al. *percuſſor*. Aldus, & Schottus legunt nobiſcum.

b *Oſtentaret*. Bon. & Schottus *oſtenderet*.

c *Immortale illud*. Bon. & Aldus: *immortalitatum*.

d *In operto eſſet*. Sic omnino legendum, ut ſenſus idem ſit, ac L. V. C. XVIII. Al. XVII. *Iccirco virtutem ipſam Deus ſub perſona ſtultitiæ voluit eſſe celatam, ut myſterium veritatis, ac religionis ſuæ eſſet arcanum*. Iſæus putat Authorem noſtrum loqui, *de ineffabili arcano, & nullis hominum mentibus ſcrutabili, quo Deus aliquos reprobat, & permittit errare, ut ipſorum libero arbitrio a ſapientia, & veritate averſi*,

pro malis, & turpibus aſperarentur, ut averſi a ſapientia, & veritate, quam ſine ullo duce requirebant, in idipſum inciderent, quod vitare cupiebant.

ſi, in id ipſum incidant, quod vitare cupiunt; pœnam videlicet ſempiternam. Cui tamen neceſſe eſt addere: neminem a Deo rebrobari niſi prævifis demeritis, neque damnari niſi ob culpas, ac legis prævaricationes.

e *Eſſet, poſuit*. Bon.; & Aldus: *eſſet, voluit*.

4

Itaque illam perditionis, ac mortis viam multiplicem oſtendit, vel quod multa ſunt genera vitæ [a], vel quod Dii multi, qui coluntur.

---

a *Multa ſunt genera vitæ*. Bon. *generis*.

5

Hujus dux prævaricator, ac ſubdolus, ut videatur eſſe diſcrimen aliquod falſi, & veri mali, ac boni alia ducit luxurioſos [a], alia eos, qui frugi appellatur, alia imperitos, alia doctos, alia inertes, alia ſtrenuos, alia ſtul-

---

a *Luxurioſos*. Bon. *luxurioſus, imperitus* &c.

ſtultos, alia Philoſophos, & eos quidem non uno tramite.

6

Illos enim, qui aut voluptates, aut divitias non refugiunt, ab hac publica, & celebri viâ modice ſegregat: eos autem, qui aut virtutem ſequi volunt, aut contemptum rerum profitentur, per confragoſa [a] quædam præcipitia trahit.

---

a *Confragosa*. Bon. & Aldus *fragosa*.

7

Sed tamen illa omnia itinera [a], quæ ſpeciem bonorum oſtentant, non ſunt aliæ viæ, ſed deverticula [b], & ſemitæ, quæ videntur quidem ab illa communi dextroverſum ſeparari, ad eandem tamen, & ad unum omnes exitum ſub ipſo fine referuntur.

---

a *Sed tamen omnia illa itinera*: Al. *illa omnia* Al. *ſecundum vocem non habent*.

b *Deverticula*: Sic Boni, ut etiam Quintil. L.X. *Inſtit.* Cap.I. Al. *diverticula*. Bon. *non ſunt aliclivum ſed deverticula*.

8

Ibi enim dux ille conjungit omnes, ubi opus

opus fuerat, bonos a malis, fortes ab inertibus, ſapientes a ſtultis ſeparari, in Deorum ſcilicet cultu [a], in quo ille univerſos (quia ſine ullo diſcrimine ſtulti fuerunt) uno mucrone ingulat, & præcipiat in mortem.

---

a *In deorum ſcilicet cultu*. Bon. *ſcilicet in deorum* &c.

9

Hæc autem via, quæ eſt veritatis, & ſapientiæ, & virtutis, & juſtitiæ, quorum omnium fons unus eſt [a], una vis, una ſedes [b], & ſimplex, & ſuavis eſt, quod paribus animis, ſummaque concordia unum ſequamur & colamus Deum: & anguſta, quoniam paucioribus virtus data eſt: & ardua, quoniam ad bonum, quod ſummum [c], atque ſublime eſt, niſi cum ſumma difficultate, ac labore non poteſt perveniri.

CAP. VIII.

---

a *Fons unus eſt*. Bon. ſecundam vocem omittit.
b *Suavis, & ſimplex*. Bon. primam vocem non habet, quam Aldus reſtituit.
c *Quod ſummum . . . . . ſublime* &c. Bon. *Quum ſummum . . . . ſublimem* &c.

CAP. VIII.

1

HÆc eſt via, quam Philoſophi quærunt, ſed ideo non inveniunt [a], quia in terra potius, ubi apparere non poteſt, quærunt.

a *Inveniunt*. Bon. *invenerunt*.

2

Errant ergo, velut in mari magno, nec quò ferantur intelligunt, quia nec viam cernunt, nec ducem ſequuntur [a]

a *Nec ducem ſequuntur*: Al. addunt *ullum*. Al. *illum*. Aldus legit nobiſcum. Bon. caret duabus vocibus ſequentibus.

3

Eadem namque ratione hanc vitæ viam quæri oportet, qua in alto iter navibus quæritur, quæ niſi aliquod cæli lumen obſervent [a], incertis curſibus vagantur.

Quiſ-

a *Niſi aliquod Cæli lumen obſervent*. Navigantium

tium inſtar in hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus omnes vehimur. Ideoque quemadmodum illi Polaris Stellæ luce feruntur; ſic nos ad portum æternæ beatitudinis pervenire propriis viribus non poſſumus, niſi ſupernis fidei, ac gratiæ radiis perfuſi, qui non aliunde, quam a Parte luminum deſcendunt. Unde dicitur Jacobi I. ℣. 17. *Omnem datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens a Patre luminum, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

4

Quiſquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aſpicere, ſed cælum, & (ut apertius loquar) non hominem ſequi debet, ſed Deum a: non his terreſtribus ſimulacris, ſed Deo ſervire cæleſti: non ad corpus referre omnia, ſed ad mentem: non huic vitæ dare operam, ſed æternæ.

a *Non hominem ſequi debet; ſed Deum*. Bon. Tò *debet*: omittit.

5

Itaque ſi oculos in cælum ſemper intendas, & ſolem, quum oritur a, obſerves, eum-

a *Et ſolem quum oritur*. Al. *qua oritur*. Male; nam

eumque habeas vitæ, quaſi navigii ducem, ſua ſponte in viam pedes dirigentur: & illud cæleſte lumen, quod ſanis mentibus multo clarior ſol eſt, quam hic, quem carne mortali videmus [b], ſic reget, ſic gubernabit, ut ad ſummum ſapientiæ, virtutiſque portum ſine ullo errore perducat.

---

nam heic metaphorice Lactantius loquitur de divinis inſpirationibus, quæ merito lumina cæleſtia dicuntur, quibus ſtatim ac excitamur, attendere neceſſe eſt; tranſeunt enim, & interdum in pœnam deſidiæ noſtræ non revertuntur. Bunem. lectorum ablegat ad Lib.II. Cap.IX.Seg.5. & Cap.XVII. Seg.ibidem 5. ſuæ editionis; ſed non ad rem.

b *Multo clarior ſol eſt, quam hic, quem carne mortali videmus.* Al. clarius *ſole*, Al. *multo clarius eſt quam hic ſol*. Aldus, & Schottus legunt nobiſcum. Al. *in carne mortali*.

6

Suſcipienda igitur Dei lex eſt, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa ſancta, illa cæleſtis, quam Marcus Tullius in libro de Rep. tertio pene divina voce depinxit, cujus ego, ne plura dicerem, verba ſubjieci.

7

Eſt quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſem-

ſempiterna, quæ vocet ad officium, jubendo: vetando, a fraude deterreat: quæ tamen neque probos fruſtra jubet, aut vetat: nec improbos jubendo, aut vetando movet.

8

Huic legi nec obrogari fas eſt[a]*, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quærendus explanator, aut interpres ejus alius.*

---

a NEC OBROGARI FAS EST. Sic omnino legendum, ne idem verbum geminetur, legendo: *abrogare*, aut ſenſus turbetur legendo: *propagari*: obrogari autem legi, tum dicitur, quum ei contradicitur, & aliam loco illius rogari poſtulatur. Cicero L. III. Epiſt. XXIII. ad Att. *Si quid in hac rogatione ſcriptum ſit, quod per leges, plebiſve ſcita, hoc eſt, quod per legem Clodiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare S. F. ſua non liceat, non licuerit; quodve ei, qui promulgavit, abrogavit, derogavit, obrogavit, ob eam rem pœnæ multæve ſit. E. H. L. N. R.* Adde Briſs. *de verborum ſignif.*

9

Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & omnes gentes

tes [a], *& omni tempore una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit: unuſque erit communis, quaſi magiſter, & imperator omnium Deus: ille legis hujus inventor, diſceptator, lator, cui, qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernatus* [b]; *hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.*

---

a Sed et omnes gentes. Thom. ex Vetuſt. Cod. *Sed & omni genti* &c. Quam lectionem Langlet. perperam tribuit noſtro Bon. Ms. Cod. quum, teſte Aldo, ſit ſolius Lodgobardici.

b Ac naturam hominis aspernatus. Al. *aſpernatur*. Aldus, & Schottus noſtram retinent lectionem.

10

Quis ſacramentum Dei ſciens tam ſignificanter enarrare legem Dei poſſit, quam illam homo longè à veritatis notitia remotus expreſſit? Ego vero eos, qui vera imprudenter loquuntur, ſic habendos puto, tanquam divinent, ſpiritu aliquo iuſtincti [a].

---

a *Tamquam divinent ſpiritu aliquo inſtinti*. Al. *tamquam divino ſpiritu aliquo inſtincti*: Al. *inſtructi*.

11

Quod ſi, ut legis ſanctæ vim, rationemque

que pervidit, aut illud quoque [a] ſciſſet, aut explicaſſet, in quibus præceptis lex ipſa conſiſteret: non Philoſophi functus eſſet [b] officio, ſed prophetæ. Quod quia facere ille non poterat, nobis faciendum eſt, quibus ipſa lex tradita eſt ab illo uno magiſtro, & imperatore omnium Deo.

---

a *Ita illud quoque*. Bon. *itaut illud* &c.
b *Functus eſſet*. Al. *fuiſſet*. & ſic Schottus.

C A P. I X.

1

HUjus legis [a] caput primum eſt, ipſum Deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum colere. Non poteſt enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ Deum neſcit, quod eſt ſummum nefas. Quæ ignoratio facit, ut Diis alienis ſerviat [b]: quo nihil ſceleratius committi poteſt.

---

a *Hujus legis* &c. Nempe primum Decalogi præceptum: *Exodi XX. Deuter. V. Pſal. LXXX.*
b *Ut Diis alienis ſerviat*. Bon. *ut Diis aliis ſervire* &c. Schottus *aliis ſerviant*.

2

Hinc jam proclivis eſt ad malitiam gradus

dus per ignorantiam veri, ac ſingularis boni, quia Deus, quem noſſe refugit, fons eſt ipſe bonitatis [a]. Vel ſi juſtitiam ſequi volet Dei [b]: divini tamen juris ignarus, gentis ſuæ leges, tanquam verum jus amplectitur [c], quas non utique juſtitia, ſed utilitas reperit.

---

a *Bonitatis*: Schottus addit. *ac veritatis*.

b *Vel ſi juſtitiam ſequi volet Dei*: Bon. & Aldus: *Ne ſi juſtitiam* Al. ultima carent voce.

c *Amplectitur*. Heum. *amplectetur*. Neſcio qua ratione.

3

Cur enim per omnes populos [a] diverſa, & varia jura ſunt condita, niſi quod unaquæque gens id ſibi ſanxit, quod putavit rebus ſuis utile?

---

a *Per omnes populos*. Al. *per univerſos*.

4

Quantum autem a juſtitia recedat utilitas, populus ipſe Romanus docet, qui per Feciales bella indicendo [a], & legitime inju-

---

a *Qui per Feciales bella indicendo*. Ms. Cod. noſtro

injurias inferendo [b], ſemperque aliena cupiendo [c], atque rapiendo, poſſeſſionem ſibi totius orbis comparavit.

ſtro legit. *Qui perfida bella indicendo*: quem tamen nemo ſecutus eſt, niſi Aldus. Feciales apud Romanos, ex Feſto, Sacerdotes erant pacis, ac belli authores; Varro *de V. Pop. Rom. L. II.* ait: *Itaque Bella & tarde, & nulla licentia ſuſcipiebant, quod bellum nullum, niſi pium, putabant geri oportere. Priuſquam indicerent Bellum iis, a quibus injurias factas ſciebant, Feciales Legatos repetitum mittebant quatuor, quos Oratores vocabant*; Idem *L. III. Si cujus legati violati eſſent, qui id feciſſent, quamvis nobiles eſſent, ut dederentur Civitati, ſtatuerunt, Fecialeſque viginti, qui de his rebus cognoſcerent, judicarent, & ſtatuerent, & conſtituerent*. Hæc autem jam adulta Republica ſtatuta ſunt, ut ea quæ bellis parta erant, conſervari diutius poſſent.

b *Et legitime injurias faciendo*. Al. *inferendo*. Scilicet ſecundum leges patrias, de quibus ſupra diximus; non enim hæc eſt locutio ironica, ut putavit Iſæus; nec legendam *illegitime*, ut aliqui perperam ſcribunt. Aldus. *injurias infaciendo*.

c *Aliena capiendo*. Al. *carpendo*.

5

Verum hi ſe juſtos putant, ſi contra leges ſuas nihil faciant: quod etiam timori aſcribi poteſt, ſi præſentium pœnarum metu, ſceleribus abſtineant.

6

Sed concedamus ſane, ut id natura, vel (ut ait Philoſophus) ſua ſponte faciant, quod legibus facere coguntur. Num iccirco juſti erunt, quia parent inſtitutis hominum, qui & ipſi aut errare, aut injuſti eſſe potuerunt? Sicut illi duodecim tabularum conditores [a], qui publicæ utilitati pro conditione temporum ſervierunt [b]

Aliud

a *Sicut illi XII. Tabularum conditores*. Quum Romæ vetera inſtituta regendis, tractandiſque negociis in dies emergentibus minime ſufficere, Senatus cognoſceret, Hermodii Epheſii in Italia tum temporis exulantis, conſiliis, ac opera uſus, tres miſit in Græciam legatos, leges petitum, quas partim ex Athenienſibus, & Lacedemoniis, partim ex Magnæ Græciæ Urbibus, civili Pythagoreorum Philoſophia inſtitutas, retulerunt. Pro condendis autem Romanis legibus creati inde fuerunt cum ſumma poteſtate, abſque provocatione, ſeptem Conſulares viri, in quorum nominibus perſcribendis diſcrepant Authores. Si Dionyſio Hal. fides, hi fuerunt. Ap. Claudius, T.Genutius, P.Sextius, T.Romilius, C.Julius, T.Veturius, & P.Horatius; quibus quum acceſſiſſent iidem illi tres, qui legati fuerant, P.Poſthumius, Sex. Sulpitius, a Manilius, decem virorum numerum compleverunt, & Decemviri poſtmodum dicti ſunt. Leges autem ab his conditæ in XII. tabulis publice

blice propoſitæ fuerunt, data omnibus facultate obiiciendi ſi quid in eis occurreret minus probandum; factoque deinde S. C., captis auſpiciis, accitis Pontificibus, & Auguribus, Comitiis centuriatis, leges univerſi ſciverunt, quas in tabulis æreis inciſas in foro collocari curarunt.

b *Qui publicæ utilitati pro conditione temporum ſervierunt*. Nec brevius, nec elegantius hoc elucidari poteſt, quam verbis L. Flori L. I. C.XXIV. ubi de ſeditionibus loquens ait: *Secundam in Vrbe media Decemviratus libido conflavit. Allatas a Græcia leges decem Principes lecti, jubente Populo, conſcripſerant, ordinataque erat in XII. tabulis tota juris ſcientia, quum traditos faſces, regio quodam furore retinebant. Ante Cæteros Appius eo inſolentiæ elatus eſt, ut ingenuam virginem ſtupro deſtinaret; oblitus Lucrætiæ, & Regum, & juris, quod ipſe compoſuerat*. &c.

7

Aliud eſt igitur civile jus, quod pro moribus ubique variatur: aliud eſt vera juſtitia, quam uniformem a, ac ſimplicem propoſuit omnibus Deus: quam qui ignorat, & ipſum Deum ignoret neceſſe eſt.

a *Vniformem*. Al. *informem*. Vox iſta, ut minus latina habetur.

8

Sed putemus fieri poſſe, ut aliquis na-

turali, & ingenito bono, veras virtutes capiat, qualem fuiſſe Cimonem Athenis [a], accepimus, qui & egentibus ſtipem dedit, & pauperes invitavit, & nudos induit. Tamen quum illud unum, quod eſt maximum, deeſt, agnitio Dei, jam illa bona omnia ſupervacua ſunt, & inania, ut fruſtra in his aſſequendis laboraverit [b].

Om-

a *Qualem fuiſſe Cimonem Athenis*. Al. *Timonem*. Al. *Thimonem*. Vix rerum Græcarum Scriptorem reperies, qui de Cimonis virtutibus non loquatur. Imo etiam Latini eum magnis, meritiſque laudibus extulerunt. Cornelium Nepotem heic audire ne pigeat, Lactantio noſtro lucem præbente: ſiquidem in vita illius hæc habet. *Fuit . . . . tanta liberalitate, quum compluribus locis prædia, hortoſque haberet, ut numquam eis cuſtodem poſuerit, fructus ſervandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus vellet, frueretur. Semper eum pediſſequi cum nummis ſunt ſecuti, ut ſi quis opis ejus indigeret, haberet, quod ſtatim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe quum aliquem offenſum fortuna videret minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Quotidie ſic Cœna ei coquebatur, ut quos invocatos vidiſſet in foro omnes convocaret: Quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit: multos locupletavit, complures pauperes mortuos, qui unde efferrentur non reliquiſſent, ſuo ſumptu extulit* &c.

b *Tamen quum illud unum, quod eſt maximum,* de

deeſt, Agnitio Dei, jam bona illa omnia ſupervacua ſunt, & inania, ut fruſtra in iis aſſequendis laboraverit. Ita eſt, *ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo,* inquit Apoſt. ad Hebr. XI. v.6. quare optime S. Ignatius Martyr. in Epiſt. ad Philadelphienſes ſcripſit: *Omnes Sancti ſalvati ſunt per Chriſtum in ipſo ſperantes, atque ipſum expectantes, & per ipſum ſalutem adepti ſunt; qui erant digni dilectione, & digni laude ſanctificati a Chriſto.* Non ergo in omni religione ſalus, ut Deiſtæ blaterant: Non per ſolam fidem ut hæretici, & ſectarii noſtri temporis impudenter docent; ſed per gratiam, & charitatem, quæ ſunt initia meriti, ut Catholica docet Eccleſia. Bona tamen ſecundum ſe opera illa mortalia ſunt, nec ſine præmio temporali a juſtiſſimo Judice relinquuntur, ſi fine alialiquo, aut circumſtantia non depraventur. Non enim ex eo quod quis infidelis ſit, ſeu gratia ſanctificante careat, omnia ejuſdem opera, prava ſunt, & peccata, ut in ſuis jam ab Apoſtolica ſede damnatis, ac a ſe retractatis articulis Michael Bajus docuerat; ſed ſolum ad beatitudinem conſequendam ſupervacanea ſunt, & inania, ut recte dicit Lactantius noſter contra Pelagianos, ac poſtea male ſubortos Maſſilienſes, eorumque ſectatores.

9

Omnis enim juſtitia ejus, ſimilis eſt humano corpori, caput non habenti, in quo, tametſi membra omnia, & locis ſuis conſtent, & figura, & habitudine, tamen quoniam

deeſt id, quod eſt omnium principale [a], & vita, & omni ſenſu caret.

a *Eſt omnium principale* Schott. f. *princeps*.

10

Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, uſum non habent [a], tam ſcilicet, quam caput ſine corpore. Cui ſimilis eſt, qui quum Deum non ignoret, vivit injuſte. Id enim ſolum habet, quod eſt ſummum, ſed fruſtra, quoniam virtutibus, tanquam membris eget.

a *Uſum non habent. Hæc abſunt a noſtro Ms. Cod.*

11

Itaque ut ſit vivum, ac ſenſibile corpus, & agnitio Dei neceſſaria eſt, quaſi caput, & omnes virtutes, quaſi corpus [a]. Ita fiet homo perfectus, ac vivus. Sed tamen ſumma omnis in capite eſt, quod quamvis conſtare non poteſt ſine omnibus, ſine quibuſdam tamen poteſt.

Et

a *Et virtutes omnes quaſi corpus*. Al. *& omnes virtutes*. Confirmant hæc doctrinam ſuperius traditam.

12

Et erit quidem animal vitioſum, ac debile, ſed tamen vivet, ſicut & is, qui & Deum novit, & in aliqua re peccat [a]. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque ſine membris aliquibus vivi poteſt, ſine capite nullo modo.

a *Sed tamen vivet ſicut & is, qui & Deum novit, & in aliqua re peccat*: Peccatores enim, ſi fidem non abjecerint, membra Chriſti ſunt, ſpe & fide quodammodo viventia; quamvis gratia privati, vitæ ſpiritualis fontem amiſerint.

13

Hæc res efficit, ut philoſophi etiamſi natura ſint boni, tamen nihil ſciant, nihil ſapiant. Omnis doctrina, & virtus eorum ſine capite eſt, quia Deum neſciunt, qui eſt virtutis, ac doctrinæ caput: quem qui non agnoſcit, licet videat, cæcus eſt: licet [a] audiat, ſurdus: licet loquatur, elinguis eſt.

a *Licet videat cæcus eſt; licet* &c. Hæc omnia ſacris oraculis ſcripturam notiſſima ſunt.

14

Quum vero conditorem rerum, paren-

temque cognoverit, tunc & videbit, & audiet, & loquetur. Habere enim caput cœpit [a], in quo ſunt ſenſus omnes collocati, hoc eſt oculi, aures, & lingua.

---

a *Habere enim caput cœpit*. Chriſtus autem Jeſus Caput noſtrum eſt, nec ſalus æterna eſſe poteſt extra corpus, cui is caput non fuerit: *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: ut in actibus Apoſtolicis Cap. IV. ℣. 12. docuit S. Petrus, ejuſdem Chriſti in terris Vicarius, ac propterea viſibile, ac perpetuum in ſuis ſucceſſoribus totius Eccleſiæ Caput, ut in Iſagoge noſtra oſtendimus, & diſſ. xxx. Cap. II. §. xiv. ſumus demonſtraturi.

15

Nam profecto is videt, qui veritatem, in qua Deus eſt, vel Deum, in quo veritas eſt, oculis cordis aſpexerit: is audit qui divinas voces, ac præcepta vitalia [a] pectori ſuo affigit: is loquitur, qui cæleſtia diſſerens, virtutem, ac majeſtatem Dei ſingularis enarrat.

---

a *Præcepta vitalia*: Reſpicit ad Chriſti verba illa: *Si vis ad vitam ingredi: Serva mandata*.

16

Quare non eſt dubium; quin impius ſit, quiſ-

quiſquis Deum non agnoverit, omneſque virtutes ejus, quas habere, aut tenere ſe putat, in illa mortifera [a] via reperiuntur, quæ eſt tota tenebrarum.

---

a *In illa mortifera via reperiuntur.* SINE FIDE ENIM IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO ad Heb. XI. 6.

17

Quapropter nihil eſt, quod aliquis ſibi gratuletur, ſi has inanes virtutes adeptus eſt: quia non tantum miſer, qui bonis præſentibus careat, ſed etiam ſtultus ſit, neceſſe eſt, qui labores in vita ſua maximos ſuſcipiat incaſſum [a].

---

a *Suſcipiat incaſſum.* Quatenus ſcilicet ad vitam æternam promærendam ineptos.

18

Nam dempta ſpe immortalitatis [a], quam Deus pollicetur in ſua religione verſantibus, cujus aſſequendæ gratia virtus appetenda eſt [b], & quicquid malorum acciderit, perfe-

---

a *Nam dempta ſpe immortalitatis* &c. Bon. *Nam erepta ſpem* &c.

b *Virtus appetenda eſt.* Bon. primam vocem non habet.

ferendum, maxima erit profecto vanitas, obſequi velle virtutibus, quæ fruſtra homini calamitates afferunt, & labores.

19

Nam ſi virtus eſt, egeſtatem, exilium, dolorem, mortemque, quæ timentur [a] a cæteris, pati fortiter, ac ſubire: quid tandem in ſe boni habet, cur eam propter ſeipſam dicant expetendam? Nimirum ſupervacuis, & inanibus pœnis delectantur, quibus licet agere tranquille.

a *Mortemque, quæ timentur*. Bon. & alii: *mortem, quæ* &c. Lego cum Aldo, Schotto, aliiſque bonis.

20

Si enim mortales ſunt animæ, ſi virtus, diſſoluto corpore, nihil futura eſt, quid fugimus attributa nobis bona, quaſi aut ingrati, aut indigni, qui divinis muneribus perfruamur? Quæ bona ut habeamus, ſcelerate, impieque vivendum eſt [a], quia virtutem, id eſt juſtitiam, paupertas ſequitur.

Sa-

a *Quæ bona: ut habeamus, ſcelerate, impieque vivendum eſt*. Tempore perſecutionis Diocletianæ, de

de qua in libro de *M. P.* luculenter agitur, hæc propoſitio veriſſima erat, ob rationem, quam ſtatim addit Lactantius. At ſecundum ſe ſpectata falſa eſt, quum bonis temporalibus poſſit quis bene uti ad vitam æternam acquirendam; quamquam: *Facilius eſt, Camelum per foramen acus tranſire: quam divitem intrare in Regnum Dei*: ut veritas ipſa nos docuit. Matth.x. ℣.23.

21

Sanus igitur non eſt, qui nulla ſpe majore propoſita, iis bonis, quibus cæteri utuntur in vita, labores, & cruciatus, & miſerias anteponat.

22

Si autem virtus (ut ab his rectiſſime dicitur) capeſſenda eſt, quia conſtat [a], ad eam naſci hominem, ſubeſſe debet ſpes aliqua major, quæ malorum, & laborum, quos perferre virtutis eſt, magnum afferat præclarumque ſolatium. Nec aliter virtus, quum per ſe dura ſit, haberi pro bono poteſt, quam ſi acerbitatem ſuam maximo bono penſet.

Aeque

a *Quia conſtat*. Al. *coſtat* Al. *non ſtat*. Al. *obſtat*.

23

Aeque non aliter his bonis præſentibus abſtinendum eſt, quam ſi ſint aliqua majora, propter quæ tanti ſit & voluptates omittere, & mala omnia ſuſtinere. Ea vero nulla ſunt bona alia (ut in tertio docui [a]) niſi perpetuæ vitæ. Hanc autem præſtare quis poteſt, niſi Deus, qui virtutem ipſam propoſuit?

---

a *Ut in tertio docui*: Vide L.III. Cap.XVIII.

24

Ergo in Dei agnitione, & cultu, rerum ſumma verſatur, in hoc eſt ſpes omnis, ac ſalus hominis: hic eſt ſapientiæ gradus primus, ut ſciamus, quis ſit nobis verus pater, eumque ſolum pietate debita proſequamur: huic pareamus, huic devotiſſime ſerviamus: in eo promerendo [a] actus omnis, & cura, & opera collocetur.

CAP.X.

---

a *In eo promerendo*. Heum. *Plane vero*, inquit, *huc non quadrat verbum hoc*. *Lege*: DEMERENDO. At Bun. contra exempla adducit Tertull. Arnobr., Cypriani, & Nazarii. Adde quæ a Nobis diſſ.XXI.Cap.I. §.I. ad hanc vocem annotantur.

C A P. X.

§ 1 §

DIxi, quid debeatur Deo: dicam nunc, quid homini tribuendum ſit: quamquam id ipſum, quod homini tribueris, Deo tribuitur [a], quia homo Dei ſimulacrum eſt.

a *Deo tribuitur*. Bon, *Deus a per*; ſine ſenſu,

§ 2 §

Sed tamen primum officium juſtitiæ eſt, conjungi cum Deo: ſecundum cum homine. Sed illud primum, religio dicitur: hoc ſecundum, miſericordia, vel humanitas nominatur. Quæ virtus propria eſt juſtorum, & cultorum Dei [a], quod ea ſola vitæ communis in ſe continet rationem [b].

a *Et cultorum Dei*: Bon. hiſce caret verbis.
b *In ſe continet rationem*. Duæ primæ voces abſunt a noſtro Bon. Cod., & ab aliis pleriſque, & Cellarii ſententia abeſſe poſſent ſine ſenſus detrimento.

§ 3 §

Deus enim, qui cæteris animalibus ſapien-

pientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurſu, & periculo [a] tutiora generavit. Hominem vero quia nudum, fragilemque formavit, ut eum ſapientia potius inſtrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat, & præſtet auxilium.

---

a *ab incurſu, & periculo*. Schottus: *ob incurſus, & pericula*. Hæc explanata invenies in Lib. *de Opificio Dei* Cap.II. ſeq.

4

Summum igitur inter ſe hominum vinculum eſt humanitas: quod qui diſruperit. nefarius, & parricida exiſtimandus eſt Nam ſi de uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur [a], certe conſanguinei ſumus: & ideo maximum ſcelus putandum eſt, odiſſe hominem vel nocentem [b].

Pro-

---

a *De uno homine .... orimur*. Bon. *oriuntur*. Al. *ex uno homine* &c. Fulvius Urſinus: *videtur*, inquit, *legendum* ex Actib. Ap. xvii. ℣. 26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ* &c.

b *Odiſſe hominem vel nocentem*. Al. *vel nocere*. Imperat enim Deus, ut amentur inimici, ipſique hoſtes

ſtes beneficiis afficiantur: Ideoque quum in Pſalmo CXVIII. ℣. 113 legimus; *Iniquos odio habuit, & legem tuam dilexi*: Intepretes, & Eccleſiæ Patres, ſolam in illis nequitiam, & crimina David odiſſe, intelligunt, quamvis Rex Sanctus eorum perſonas, diligeret, & ſalutem optaret. Sic Auguſt. & Hieronym. Addunt S. Ambroſ., & Theodor. Iniquas cogitationes, malaſque animi ſententias abiiciebat David, & legem divinam enixe amabat. S. Hilarius autem *odium* explicat per *fugam*; Quatenus ſcilicet Propheta ab iis omnibus fugiebat, qui ſibi ſcandalum, & ruinæ ſpiritualis occaſionem, aut cauſſam dare poſſe cognoſcebat.

5

Propterea Deus præcepit inſidias per nos nunquam faciendas [a], ſed omnino eſſe tollerandas [b]: ſcilicet ut eos, qui ſint nobis inimici, neceſſitudinis admonitos mitigemus. Item

a *Propterea Deus præcepit, inſidias per nos numquam eſſe faciendas*. Sic reſtituo ex noſtro Bon. Cod. ubi hactenus in omnibus editis legebatur: *inimicitias*: verbis, & ſenſu quamvis repugnantibus. Quis enim umquam dixit; *facere inimicitiam*; eleganter autem dicitur: *facere inſidias*. Cic. pro T. Annio Milone. Verrin. IV. Pro Cluentio, & alibi. Plaut. in Baccenid. Terrent. in Phorm. &c. legere tamen: *injurias*;

b *Sed omnino a nobis eſſe tollerandas*. Etiam hunc locum ita reſtituimus ex eodem Codice. Ubi Al. legunt: *ſemper eſſe tollendas*.

6

Item ſi ab uno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, quid aliud, quam fratres ſumus? Et equidem conjunctiores, quod animis [a], quam qui corporibus.

---

a *Quidem conjunctiores, quod animis*. Al. *quidam*. Al. *qui*. Al. *quo* Al. *Quoniam animis*; Tò *quod* adverbium cauſſæ eſt.

7

Itaque non errat Lucretius [a], quum dicit:

Denique cælesti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt ....

---

a *Lucretius*. Lib.II. ℣.990. S. Paulus in Actis Apoſt. Cap.XVII. ℣.29. *quidam veſtrorum poetarum dixerunt*: IPSIUS ENIM ET GENUS SUMUS.

8

Ergo pro belluis immanibus ſunt habendi, qui hominibus nocent: qui contra jus humanitatis, & fas omne ſpoliant, cruciant, occidunt, exterminant. Ob hanc neceſſitudinem germanitatis docet nos Deus, malum nunquam facere, ſemper bonum.

Id

9

Id autem ipſum bene facere, quid ſit, idem ipſe præſcribit: præſtare auxilium depreſſis [a], & laborantibus, impertiri victum non habentibus.

---

a *Præſtare auxilium depreſſis* &c. Iſa. LVIII. ℣. 7. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam* &c. Ezech. XVIII. Matth. XXV. ℣. 35.

10

Deus enim, quoniam pius eſt, animal nos voluit eſſe ſociale. Itaque in aliis hominibus, noſmetipſos [a] cogitare debemus: non meremur auxilium, ſi negamus.

---

a *In aliis hominibus noſmetipſos* &c. Al. *nos ipſos*.

11

Ad hanc partem, philoſophorum nulla præcepta ſunt [a], quippe qui falſæ virtutis ſpe-

---

a *Ad hanc partem Philoſophorum nulla præcepta ſunt*. Scilicet ad miſericordiam; quamvis enim Cicero commendet Cæſaris clementiam, & Ariſtoteles mi-

ſpecie capti, miſericordiam de homine ſuſtulerunt, & dum volunt ſanare vitia, auxerunt [b].

miſericordiam non improbet, ut faciunt Stoici; nullus tamen eorum illam in ſuis ethicis libris præcipiunt. Vide L.III. Cap.XXIII. & in hoc eodem Lib.Cap XIV. Walchius exponit *Tò nulla* per *nullius pretii*. Sed jure a Bunemanno reprehenditur.

b *Dum volunt ſanare vitia, auxerunt*. Bon. *vitiaverunt*, quam lectionem ignorantia librarii vitiatam, plerique retinent.

12

Et quum iidem plerunque fateantur, ſocietatis humanæ communionem eſſe retinendam, ab ea plane ſeipſos inhumane ſuæ virtutis rigore diſſociant. Convincendus ergo etiam hic error illorum eſt, qui nihil cuiquam [a] impertiendum putant.

a *Nihil cuiquam*: Al. nihil *quicquam*.

13

Urbis condendæ originem, atque cauſſam non unam intulerunt, ſed alii eos homines, qui ſint ex terra primitus nati [a], quum per

a *Qui ſunt ex terra primitus nati*: Diodorus Sicul. Re-

per ſylvas, & campos erraticam degerent vitam, nec ullo inter ſe ſermonis, aut juris vinculo cohærerent, ſed frondes, & herbam pro cubilibus, ſpeluncas, & antra [b] pro domibus haberent: beſtiis, & fortioribus animalibus prædæ fuiſſe commemorant.

Rerum Antiq. Lib. I. C. I. *Juxta Thebaidem Ægypti, quum Nili ceſſarit inundatio, calefaciente ſole limum ab aqua relictum, malis in locis ex terræ hiatu multitudo murium oritur. Quod argumentum eſt, ab ipſo orbis primordio animantia ſimiliter omnia generata eſſe. Eodem quoque modo & homines a principio genitos, dicunt, in agris paſſim quærentes, Sylveſtri, & incondita vita vixiſſe* &c. Vide etiam Macrob. in *Somn. Scipionis* Cap. II. & Lucret. L. V. a ỳ. 800., indeque noſce, quantum a vero aberaverint homines, qui ſine revelatione divina de præteritis Dei operibus locuti ſunt, & quam ſtultiſſimi ſint ii, qui nunc eos imitantur.

b *Speluncas, & antra.* Bon. vocem ſecundam ſemidelatam ſic exhibet; *ut . . . tur*

14

Tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant [a], admonitos periculi ſui, ad alios homines decurriſſe, præ-

G 2 ſiduum

---

a *Tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari pro-*

ſiduum imploraſſe, & primo nutibus voluntatem ſuam ſignificaſſe: deinde [b] ſermonis initia tentaſſe [c], ac ſingulis quibuſque rebus nomina imponendo [d], paullatim loquendi perfeciſſe rationem.

---

proximos viderant: Lucretius hiſce verſibus hæc deſcribit; L. v. a ℣. 991.

Vnus enim tum quiſque magis deprehenſus eorum
Pabula viva feris præbebat, dentibus hauſtus;
Et nemora, ac montes gemitu, ſylvaſque replebat,
Viva videns vivo ſepeliri viſcera buſto;
At quos effugium ſervarat, corpore adeſo
Poſterius tremulas ſuper ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum &c.

b *Et primo nutibus voluntatem ſuam ſignificaſſe* &c. Idem a ℣. 1027.

At varios linguæ ſonitus natura ſubegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum.
Non alia longe ratione, atque ipſa videtur
Protrhaere ad geſtum pueros infantia linguæ,
Quum facit, ut digito, quæ ſint præſentia, monſtrent &c.

c *Tentaſſe*: Bon. *temptaſſe*. Al. *temperaſſe*.
d *Imponendo*. Bon. *inpremendo*.

15

Quum autem nec multitudinem ipſam viderent contra beſtias eſſe tutam, oppida etiam cœpiſſe munire, vel ut quietem noctis tutam

tutam ſibi facerent, vel ut incurſiones, atque impetus beſtiarum non pugnando, ſed objectis aggeribus arcerent.

---

a *Quum autem nec multitudinem ipſam .... eſſe tutam, oppida etiam* &c. Bon. Tò *nec* non habet, & legit: *eſſe tutantum oppidum*.

16

O ingenia hominibus indigna, quæ has ineptias protulerunt [a]: miſeros, atque miſerabiles, qui ſtultitiam ſuam literis, memoriæque mandaverunt!

---

a *Quæ has ineptias protulerunt*. Vide Origen. *contra Celſum* L. IV. Cap. XIV. nec pigeat carmina legere Cardinalis Poligniaci in ſuo anti-Lucretio L. VII. Quibus hujuſmodi deliria refert ſimul, ac deridet, ſibi viam aperiens a verſu 1555. L. VI.

17

Qui quum viderent [a] mutis quoque animalibus ingenitam eſſe rationem [b], vel conveniendi, vel invicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cavendi, vel cu-

 bi-

---

a *Qui quum viderent*. Al. *viderint*. Al. *vidiſſent*.
b *Ingenitam eſſe rationem*. Intellige *inclinationem*

bilia ſibi [c], & latibula parandi, homines autem ipſos exiſtimaverint nonniſi exemplis admoneri, ac diſcere potuiſſe, quid metuere ſibi, quid cavere, quid facere deberent, aut nunquam conventuros inter ſe fuiſſe, nec loquendi rationem reperturos, niſi eos beſtiæ comediſſent.

nem ab opificis providentia inditam: ut diſſ.XXV. Cap.III. §.XXIV.

c *Vel cubilia ſibi*: Al. *cubicula*: Prave; quis enim dicat Bruta ſibi paraſſe cubicula, quum homines ſpeluncas, & antra pro domibus haberent?

18

Hæc aliis delira viſa ſunt (ut fuerunt[a]) dixeruntque non ferarum laniatus [b] cauſſam fuiſſe coëundi, ſed ipſam potius humanitatem: itaque inter ſe congregatos, quod natura hominum ſolitudinis fugiens, & communionis, ac ſocietatis appetens eſſet. Non magna inter eos diſceptatio eſt. Siquidem cauſſæ diſpares ſunt, res eadem eſt.

Po-

a *Ut fuerunt*. Al. *ut ferunt*.

b *Dixeruntque non ferarum laniatus* Ariſtol. L.I. *Polit.* C.I. & LIII. Cap.IV. Auctor fuit hujus ſententiæ.

19

Potuit igitur utrunque, quia non repugnat: ſed tamen utrunque nullo modo verum eſt, quia non per omnem terram nati ſunt homines e terra, tamquam ex draconis alicujus dentibus præſeminati [a] (ut poëtæ ferunt) ſed unus homo a Deo fictus eſt [b], ab eoque uno omnis terra humano genere completa eſt: eadem ſcilicet ratione, qua rurſus poſt diluvium: quod certe negare non poſſunt [c].

---

a *Tamquam ex draconis alicujus dentibus præſeminati*. Al. *proſeminati* Al. *ſeminati*) Reſpicit Cadmi Fabulam, de qua Ovid. III. *Metamorph.* a ℣. 105. & nos ad L. 1. Cap. XV. diximus.

b *A Deo fictus eſt*. Sicuti L. I. c. V. Al. *factus eſt*; *ſcilicet Adam*: Aliqui addunt, quod eſt manifeſtum gloſſema.

c *Negare non poſſunt*: Ad L. I. Cap. X., & ad II. Cap. XIII. de univerſali diluvio diximus.

20

Nulla igitur in principio facta eſt ejuſmodi congregatio, nec unquam fuiſſe homines in terra, qui præter infantiam [a] non lo-

---

a *Præter infantiam*. Sic cum noſtro codice, & anti-

loquerentur, intelliget, cui ratio non deeſt.

antiquioribus editis legendum eſt; non autem, ut Al. habent: *propter infantiam*, Quæ lectio ineptaeſt ad mentem Authoris declarandam, utpote qui oſtendit, *præter infantiæ tempus*, id eſt, *excepta ætate puerili*, unumquemque, cui ratio non deſit, intelligere debere, homines mutos non fuiſſe, nec aliquando a belluis didiciſſe modum ſibi comparandi id, quo quiſque indigebat. Protoparentes noſtri a Deo edocti, filios ſuos docuerunt, & ſenſim per poſteros quid quiſque didicerat, aut ſua induſtria repererat, cum aliis communicavit.

21

Fingamus tamen illa vera eſſe, quæ otioſi, & inepti ſenes [a] fabulantur, ut eos ſuis potiſſimum ſenſibus [b], & ſuis rationibus refellamus.

a *Inepti ſenes* Al. *inepti homines ſenes*. L.III.C.XVIII. *ineptum ſenem* appellavit Pythagoram, heic addi debent Democritus, & Epicurus & qui eos ſunt ſecuti.
b *Ut eos ſuis potiſſimum ſenſibus*, Al. Tò *ſuis* carent Aldus noſtram lectionem retinet.

22

Si hac de cauſſa ſunt homines congregati, ut mutuis auxiliis imbecillitatem ſuam tuerentur: ſuccurrendum eſt igitur homini, qui egeat auxilio.

Quum

23

Quum enim præſidii cauſſa homines ſocietatem cum hominibus inierint, & ſanxerint fœdus illud inter homines [a], a principio ortus ſui initum [b], aut violare, aut non conſervare, ſummum nefas putandum eſt.

---

a *Sanxerint fœdus illud inter homines*. Al. *ſanxerunt* Bon. *ſanſerunt fœdus illut a principio ſui ortus, homines* &c.

b *A principio ſui ortus initum*. Al. *tutum* Al. *inſtitutum* Al. *ſtatutum* Al. *initium*.

24

Nam qui ſe a præſtando auxilio removet, etiam ab accipiendo ſe removeat, neceſſe eſt: quia nullius opera indigere ſe putat, qui [a] alteri ſuam denegat.

---

a *Quia nullius opera indigere deputat, qui* Bon. Tò *indigere* non habet, & pro *qui* legit *quia* Al. pro *opera* legunt *ope*, vel *opere*. Nobiſcum legit Aldus.

25

Huic vero, qui ſe ipſe diſſociat, ac ſecernit a corpore, non ritu hominis, ſed ferarum more vivendum eſt. Quod fieri ſi non poteſt, retinendum eſt igitur omni modo

do vinculum ſocietatis humanæ: quia homo ſine homine nullo modo poteſt vivere. Retentio autem ſocietatis [a] eſt communitas, id eſt, auxilium præſtare, ut poſſimus accipere.

---

a *Humanæ, quia homo ſine homine nullo modo poteſt vivere. Retentio autem ſocietatis.* Hæc omnia deſunt in Cod. Bon. ubi nota, quod vox *Retentio*, tamquam antiquis in hoc ſenſu non uſitata, aliquibus viſa eſt; tamen in hoc eodem ſenſu eam uſurpavit Cicer. *Lib. & Epiſt. XIII. ad Atticum*. Vide ibidem Gronov.

26

Sin vero (ut alii diſputant) humanitatis ipſius cauſſa facta eſt hominum congregatio, homo certe hominem debet agnoſcere [a].

27

Quod ſi fecerunt illi rudes, & adhuc feri homines [a], & fecerunt nondum conſtituta loquendi ratione: quid putemus hominibus expolitis, & ſermone, rerumque omnium commercio inter ſe copulatis, eſſe fa-

---

a *Adhuc feri homines*, Bon. Cod. habet. *Adulteri hæc homines*.

faciendum, qui aſſueti hominibus, ſolitudinem ferre non poſſunt?

CAP. XI.

1

Conſervanda eſt igitur humanitas [a], ſi homines recte dici velimus. Id autem ipſum conſervare humanitatem, quid aliud eſt, quam diligere hominem, quia homo ſit, & idem, quod nos ſumus?

---

a *Humanitas*, quidam Ms. Codex mancus, & diſciſſus Ottobonianus: *humilitas*.

2

Diſcordia igitur, atque diſſenſio non eſt ſecundum hominis rationem. Verumque eſt illud Ciceronis [a], quod ait: *hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe*, ergo ſi nocere homini, contra naturám eſt, prodeſſe igitur homini ſecundum naturam ſit, neceſſe eſt.

Quod

---

a *Verumque eſt illud Ciceronis*: *L.III. de Offic.* Cap.II. Al. V. Bon. *verum illut Ciceronis*.

3

Quod qui non facit, hominis ſe appellatione diſpoliat [a]: quia humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis, ac periculo ſubvenire.

a *Diſpoliat*. Schottus *deſpoliat*: quam lectionem merito laudat, & retinet Bunemannus.

4

Quæro igitur ab his, qui flecti [a], ac miſereri non putant eſſe ſapientis, ſi homo ab aliqua beſtia comprehenſus auxilium ſibi armati hominis imploret, utrumne ſuccurrendum putent, an minime? Non ſunt tam impudentes, ut negent fieri oportere, quod flagitat, quod expoſcit humanitas.

a *Quæro igitur ab his, qui flecti* &c. Al. *ab iis* ſcilicet a Stoicis, de quibus Cicer. *III. Tuſcul.*, ac *Oratione pro Muren.* & Plutar. *in Apoph.* ſententiam illam Ageſilai referens: *difficile eſt, & miſereri ſimul, & ſapere.*

5

Item ſi aliquis circumveniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine ra-

rapiatur, num putent hominis eſſe *a*, non auxiliari? non ſunt ipſi homines, ſi putent *b*. Nemo enim poteſt ejuſmodi periculis non eſſe ſubjectus. Imo vero & hominis, & fortis viri eſſe dicent, ſervare periturum.

---

a *Num putent hominis eſſe* Bon. *non putent*. Al. *numne hominis eſſe putant*.

b *Non ſunt ipſi homines ſi putent*. Intellige ſi putent hominis eſſe, hominem periclitantem non auxiliari. Bon. *non ſint* &c.

6

Si ergo in ejuſmodi caſibus, qui periculum vitæ homini afferunt, ſuccurrere, humanitatis eſſe concedunt: quid cauſſæ eſt, cur, ſi homo eſuriat, ſitiat, algeat, ſuccurrendum eſſe non putent? Quæ quum ſint paria natura cum illis caſibus fortuitis, & unam, eandemque humanitatem deſiderent, tamen illa diſcernunt, quia non re ipſa vera *a*, ſed utilitate præſenti omnia metiuntur.

---

a *Non re ipſa vera*. Al. *non re illa ipſa vera*.

7

Illos enim, quos periculo ſurripiunt, ſperant ſibi gratiam relaturos: egentes au-

autem, quia non ſperant [a], perire arbitrantur, quicquid hominibus illis impertiant.

---

a *Quia non ſperant*. Scilicet: *ſibi gratiam eſſe relaturos*.

8

Hinc eſt illa Plauti deteſtanda ſententia[a]:

Male meretur, qui mendico dat, quod edat,
Nam & illud, quod dat, perit:
Et illi producit vitam ad miſeriam.

---

a *Plauti deteſtanda ſententia*: Levi admodum primi verſus immutatione, ſic nunc in *Trinum*. *Act.II. Sc.II.* legitur:

De mendico male meretur, qui ei dat, quod edat, aut bibat;
Nam, & illud, quod dat perdit, & illi producit vitam ad miſeriam.

Betulejus credidit ex deperdita *Boetia*, Iſæus locum primus indicavit, unde erat deprompta.

9

At enim poëta fortaſſe pro perſona locutus eſt [a]. Quid M. Tullius in ſuis officialibus

---

a *Pro Perſona locutus eſt*. Qui in ſcenis loquuntur *Per-*

libus libris [b] nonne hoc idem ſuadet, non eſſe omnino largiendum? Sic enim dixit: *Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas*[c] *tollitur: qua quo in plures uſus ſis, eo minus in multos uti poſſis*. Et idem paulo poſt [d]:

Perſonæ nuncupari conſueverunt; unde quum ibi ſenem avarum cum filio colloquentem Poeta in ſcenam inducat, ideo ratione *Perſonæ*, id dictum eſſe, Lactantius indicat, & bene; nam ex iis, quæ ſequuntur molliri aliquantulum videtur duriſſima ſententia.

Non ex eo hoc dico, quin quæ tu vis, ego velim, & faciam libens;
Sed ego hoc verbum quum illi cuidam dico, præmonſtro tibi,
Ut ita te aliorum miſereſcat, ne tui alios miſereat.

b *Officialibus libris*. Nempe Lib. II. Cap. X. Al. XV.

c *Benignitate benignitas*. Al. *bonitas benignitate*, Al. *benignitas bonitate*.

d *Et idem paullo poſt*. *Ibidem*.

10

Quid autem eſt ſtultius, quam quod libenter facias curare, ut id diutius facere non poſſis? Videlicet profeſſor ſapientiæ refrenat homines ab humanitate: monetque, ut rem familiarem diligenter cuſtodiant: malintque arcam, quam juſtitiam conſervare. Quod

II

Quod quum intelligeret inhumanum eſſe, ac nefarium, mox ex alio capite [a], quaſi actus pænitentia, ſic ait: *Nonnunquam tamen eſt largiendum: nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum: & ſæpe idoneis hominibus egentibus de re familiari impertiendum* [b].

Quid

a *Mox alio capite*. Bene monent heic Cellarius, & Bunem. hanc Ciceronis ſententiam reperiri in eodem libri ſecundi decimoquinto capite, ubi aliæ duæ heic laudatæ reperiuntur. Errat enim Walchius adnotando: *eodem capite XV. libri tertii*: & inanis eſt Heumanni conjectura, quæ vult, verba illa: *alio capite*: fuiſſe ad libri oram inſcripta eo ævo, quo jam in capita diviſus fuit Liber *de Officiis*, quod factum eſt ſæculo XV. a Joanne de Lapide; nam Codex noſter Bononienſis, qui longe ante ſæculum XV. exaratus eſt, aliique plurimi, ſic legunt. Quare potius dicendum eſt, *Tò alio capite*: idem heic ſignificare, ac *alia ratione* Al. *ex alio capite*: Al. *mox ex alio capite.* Al. *ex antiquo capite*. Al. *ex alieno capite*.

b IDONEIS HOMINIBUS EGENTIBUS DE RE FAMILIARI IMPERTIENDUM. Eraſmus putat, S. Hieronymum in *Epiſt. XIII. ad Paulinum* ad has Ciceronis ſententias reſpexiſſe, quum ſcripſit: *Conſidera ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas: id eſt, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & ſecundum dictum prudentiſſimi viri, liberalitate liberalitas* pe-

pereat. Quod placuiſſe video etiam Mariano Victorio Amerino Epiſcopo. At quamquam iſta hæc ultima verba cum Ciceronianis congruant: longe tamen ab eis diſcrepat ſententia: S. Hieronymus enim, Paulinum monet, ne ea, quæ in Chriſti, Pauperumque ſubſtantiam ſua profeſſione monaſtica, tranſierant bona, in alios uſus diſtraheret, præterquam in eleemoſynam; *nam* paullo ante recitata verba dixerat: *Jam non ſunt tua, quæ poſſides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt. Memento Ananiæ, & Saphiræ: Illi timide ſervaverunt: Tu conſidera ne Chriſti ſubſtantiam* &c. Adde quæ ibidem ſequuntur, ut noſcas, quam inepte Gronovius L. IV. *Obſer.* Cap. IX. ex ambiguitate vocis, Lactantium putet in laudata Ciceronis verba invaſiſſe; quaſi Tullius *idoneos*, dixiſſet, *probos homines*, *paupertate oppreſſos*. Eidem, & aliis luculentius reſpondimus Diſſ. XXVIII. Cap. IV. §. VII.

12

Quid eſt idoneis? nempe iis, qui reſtituere, ac referre gratiam poſſint. Si nunc Cicero viveret, exclamarem profecto: Hic hic M. Tulli [a] aberraſti a vera juſtitia, eamque uno verbo ſubſtuliſti, quum pietatis, & humanitatis officia utilitate metitus es [b].

a *Hic hic M. Tulli*: Bon. *Nihil. Marce Tulli*.
b *Utilitate metitus es*. Bon. *utilitatem*.

13

Non enim idoneis hominibus largiendum eſt; ſed quantum poteſt, non idoneis [a]. Id enim juſte, id pie [b], id humane fit, quod ſine ſpe recipiendi feceris. Hæc eſt vera illa, & germana juſtitia [c], cujus *ſolidam*, *&* *expreſſam effigiem nullam tenere vos*, [d] dicis.

a *Sed quantum poteſt non idoneis*. Bon. *ſed quantum poetæ*.

b *Id pie*. Bon. *inpie*.

c *Et germana Juſtitia*. Sic Schottus. Al. cum Iſæo: *& genuina*.

d *Nullam tenere vos*, *dicis*. Al. cum Schotto. *nos*. Al. *vos dicitis*. Sed prave: reſpicit enim Lactantius ad Ciceronis ejuſdem verba jam ſupra recitata Cap. VI. ſeg. 25. *Sed nos*, inquit, *veri juris*, *germanæque juſtitiæ ſolidam*, *& expreſſam effigiem nullam tenemus* &c.

14

Ipſe pluribus locis [a] clamas, *mercenariam non eſſe virtutem*: faterisque in libris legum tuarum, liberalitatem gratuitam eſſe, his

a *Ipſe pluribus in locis*: Præſertim L. I. *de legibus*, ubi ait: *Liberalitas gratuitane eſt*, *an mercenaria? Si ſine præmio benigna eſt*: *gratuita*; *ſi cum mercede*: *conducta*.

his verbis : *Nec eſt dubium* [b], *quin is , qui liberalis , benignuſque dicitur , officium , non fructum ſequatur .*

b Non est dubium &c. Verba hæc Ciceronis proxima iis ſunt , quæ ſuperius laudavimus .

15

Cur ergo idoneis potius largiris , niſi ut poſtea mercedem recipias ? Te igitur authore, ac præceptore juſtitiæ , quiſquis idoneus non erit , nuditate , ſiti , fame conficietur : nec homines copioſi , & uſque ad delicias abundantes ſubvenient ultimæ neceſſitati [a] .

a *Vltimæ neceſſitati* : I. E. *extremæ* , & qua major vix dari , aut excogitari poteſt .

16

Si virtus mercedem non exigit [a] , ſi propter ſe (ut dicitis) expetenda eſt : ergo juſtitiam matrem , principemque [b] virtutum
H 2 ſuo

a *Si virtus mercedem non exigit* . Schottus : *præmium non exigit* : Bon. *non extingit* . Al. *juſtitiam non* &c. quæ vox ex ſequenti ſegmento heic irrepſit .
b *Ergo juſtitiam matrem principiemque* &c. Sic cum

ſuo pretio, non tuo commodo [c] æſtima: eique potiſſimum tribue, a quo nihil ſperes.

---

cum melioribus lego, ubi Bon., & alii quidam legunt: *juſtitia* Al. *principem*, *matremque*. Vide ad L. III. Cap. XXII. ſeg. 25.

c *Non tuo comodo*. Bon. *non ſuo*.

17

Quid perſonas eligis? quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendus eſt quiſquis ideo precatur, quia te hominem putet[a].

---

a *Te hominem putet*. Bon. *putent*.

18

Abjice umbras illas, imagineſque juſtitiæ, atque ipſam veram, & expreſſam tene: largire cœcis, debilibus, claudis, deſtitutis, quibus, niſi largiare, moriendum eſt[a]. Inutiles ſunt hominibus, ſed utiles Deo, qui eos retinet in vita[b], qui ſpiritu donat, qui luce dignatur.

Fove

---

a *Niſi largiare*, *moriendum eſt*, Bon. *niſi largiarem vivendum eſt*. Aldus; *minus vivendum eſt*.

b *Retinet in vita*. Bon. Tò *retinet*: Al. etiam præpoſitionem omittunt. Minus latinam hanc dictionem puta-

putarunt aliqui ; & ideo Tomaſius legit : *qui eis vitam, qui ſpiritum donat*. Gallæus, & Tyſius, *qui eos vita, qui ſpiritu donat*. Sed ſcite Bunem. eos Cicerone latiniores appellat per ironiam, quum Tullius *in Oratione pro Sulla* hac eadem utatur phraſi.

19

Fove quantum in te eſt [a], & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrerit [b], occidit.

a *Fove quantum in te eſt.* Bon. *fovere quantum tibi eſt*.

b *Si non ſuccurrerit*: Sic omnes præter Bon. qui legit: *ſi non ſuccurrit*.

20

Verum iſti, quia neque naturam retinent [a], neque præmium in eo quod ſit, ſciunt, dum perdere timent, perdunt, & in id, quod maxime cavent, incidunt : ut quicquid largiuntur, aut pareat omnino, aut ad tempus breviſſimum proſit.

a *Qui neque naturam retinent*. Bon. *ſtaturam*.

21

Nam qui exiguam ſtipem miſeris ne-

gant, qui conſervare humanitatem ſine damno ſuo volunt, patrimonia ſua effundunt, aut ut peritura [a], & fragilia ſibi comparent, aut certe maximis ſuis damnis nihil conſequantur.

---

a *Aut ut peritura*. Al. *ut aut* Al. *ut ut*.

22

Quid enim dicendum eſt de iis, qui populari levitate ducti, vel magnis urbibus ſuffecturas opes exhibendis muneribus impendunt [a]? niſi eos dementes, ac furioſos, qui præſtent id populo, quod & ipſi perdant, & nemo eorum, [b] quibus præſtatur, accipiat. Ita-

---

a *Magnis Vrbibus ſuffecturas opes exhibendis muneribus impendunt*. Scilicet iis, qui in ludis publicis victores forent, Cicero Lib.II. *de Offic.* ait *Itaque miror quid in mentem venerit Theophraſto in eo libro, quem de divitiis ſcripſit, in quo multa præclare: Illud abſurde; eſt enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum: taliumque ſumptuum facultatem fructum divitiarum putat* &c. In inſcriptionibus Gruterianis a Tabul. CLVIII. plurima de iis monumenta reperies, & paſſim apud Hiſtoricos rerum Romanarum; precipue Lipſium *de Magnit. P. R.* L.II. c.XI. Adde S.Cyprian. *de Oper., & Eleem.* & Noſtr. diſſ.XXVII. Cap.XVII. §.XI.

b *Quod & ipſi perdant, & nemo eorum; quibus præ-*

præſtatur accipiat. Idem S. Cyprianus ad Donatum. *Stulta prorſus, & vana jactura, fruſtrantis ſpectaculi voluptate id parare voluiſſe, quod nec populus acciperet, & perderet Senatus.*

23

Itaque ut eſt omnis voluptas caduca & brevis, oculorum maxime, & aurium, aut obliviſcuntur homines, & alterius damna pro ingratis habent [a], aut etiam offenduntur, ſi non eſt libidini vulgi ſatisfactum: ut etiam homines ſtultiſſimi malum ſibi malo comparaverunt, aut ſi adeo placuerint [b], nihil amplius, quam inanem favorem, paucorumque dierum fabulas aſſequantur [c]. Sic quotidie leviſſimorum hominum patrimonia in res ſupervacuas prodiguntur.

a *Pro ingratis habent*. Schottus *pro ingratiis*. Scilicet adverbium, quod idem valet, ac *Præter gratiam, & meritum*.

b *Aut, ſi adeo placuerint*. Sic etiam Fulvius Urſinus, & Schottus legendum putant: Al. *ut ſi* &c. Al. *At ſic* Bon. *placuerunt*.

c *Fabulas aſſequantur*. Al. *aſſequuntur*. Al. *adferuntur*.

24

Num ergo illi ſapientius, qui utiliora,

 & diu-

& diuturniora civibus ſuis exhibent munera? Ii ſcilicet, qui publicis operibus extructis [a], memoriam nomini ſuo quærunt [b]? Ne iſti quidem recte bona ſua in terram ſepeliunt: quia nec memoria quicquam mortuis confert, nec opera eorum ſempiterna ſunt: ſiquidem aut uno tremore terræ diſſipantur, & corruunt; aut fortuito conſumuntur incendio, aut hoſtili aliquo impetu diruuntur, aut certe vetuſtate ipſa diſſoluta labuntur.

---

a *Ii ſcilicet, qui publicis operibus extructis, memoriam nomini ſuo quærunt*. Cicero L.II. De Offic. *Atque ille impenſæ meliores; Muri, Navalia, Portus, aquarum ductus, omniaque, quæ ad uſum Reipublicæ pertinent, quamquam quod præſens, tamquam in manus datur, jucundius eſt; tamen hæc in poſterum gratiora Theatra, Portus, nova Templa, verecundius reprehendo propter Pompejum* &c. De hoc Theatro, ac de adjunctis ædificiis Rerum Romanarum hiſtorici omnes loquuntur: ſed ad rem Tertull. L. *de ſpectaculis Cap.x.PompejusM.ſolo theatro ſuo minor* &c.

b *Memoriam nomini ſuo quærunt*. Bon. *memoriam nominis æquent*.

25

Nihil eſt enim (ut ait Orator [a]) *opere, & ma-*

---

a *Ut ait Orator*. Nempe Cicero *in Oratione pro Marcello* Cap.III. Al.IV.

& manu factum, quod non conficiat, & conſumat vetuſtas. At hæc juſtitia, & lenitas floreſcit quotidie magis.

b At hæc JUSTITIA, ET LENITAS FLORESCIT QUOTIDIE MAGIS. Al. *Ad hæc*, quæ eſt lectio prava noſtri Codicis, Iſæi, & aliorum. Schottus nobiſcum legit: Heum. pro gloſſemate hæc omnia habet, ignorans eſſe verba ipſius Ciceronis, nec animadvertens ab iis, quæ mox dicit Author pendere. Bon. copulam, & tres proximas voces omittit.

26

Illi ergo melius, qui tribulibus ſuis [a], aut clientibus largiuntur [b]: aliquid enim præſtant hominibus, & proſunt: ſed non eſt illa vera, & juſta largitio [c]. Beneficentia enim nulla eſt, ubicumque neceſſitas non eſt.

Pe-

a *Qui tribulibus ſuis*. Bon. *qui indigentibus ſuis amicis*, & ſic etiam Aldus. Al. *contribulibus*. Noſtra lectio latina, & ſenſui magis congrua, ac pleriſque receptior.

b *Largiuntur*. Heum. apponit punctum interrogationis: quod tamen nec neceſſarium, neque apte poſitum cenſuit Bun.

c *Sed non eſt illa vera, & juſta largitio*. I.E. Non miſericordiæ opus, quæ circa ſublevandos homines a miſeria verſari debet.

27

Perit ergo quicquid gratiæ cauſſa tribuitur non indigentibus, aut cum fœnore redit, & beneficentia non erit [a]. Quod etſi gratum eſt iis, quibus datur, juſtum tamen non eſt: quia, ſi non fiat, nihil mali ſequitur.

---

a *Et beneficentia non erit* &c. Heum. *Deleo*, inquit, *manifeſtum hoc gloſſema*. Sed appoſite Bun. *Servo*, repoſuit, *quippe ab omnibus libris ſervatum*. Addo, & ſuperioribus congruum epiphonema.

28

Unum igitur certum, & verum liberalitatis officium [a] eſt, egentes, atque inutiles alere.

---

a *Et verum liberalitatis officium*. Bon. *libertatis officium*.

CAP. XII.

1

HÆc eſt illa perfecta juſtitia, quæ cuſtodit humanam [a], de qua philoſophi lo-

---

a *Quæ cuſtodit humanam* &c. Amanuenſis Librarius

loquuntur, ſocietatem. Hic divitiarum maximus, ac veriſſimus fructus eſt, non uti opibus ad propriam unius voluptatem, ſed ad multorum ſalutem: non ad præſentem ſuum fructum, ſed ad juſtitiam [b], quæ ſola non interit.

---

rius noſtri Codicis, audaxne, an magis indoctus, neſcio, ſæpe pro arbitrio ſcribit, delet, permutat, addit, & lectorem ſuum barbariſmis, ac ſolœciſmis moratur, potiſſimum in toto hocce libro: quod heic dixiſſe ſufficiat, ne in annotandis ipſius erratis diutius immorer, heic ſic ſcribit: *Quæ cuſtodit humanam vitam, de qua Philoſophi loquuntur ſocietatem*. Nempe de ſuo poſuit *vitam*, non videns *Tò humanam* jungi debere ſequenti verbo *ſocietatem*.

b *Sed ad juſtitiam*. Al. *Sed ad induſtriam*.

2

Tenendum eſt igitur [a] omni modo, ut ab officio miſericordiæ ſpes recipiendi abſit omnino. Hujus enim operis, & officii merces a Deo eſt expectanda ſolo [b], nam ſi ab homine expectes [c], jam non humanitas erit illa,

---

a *Tenendum eſt igitur*. Bon., & Aldus *Tenendas* &c.

b *A Deo eſt expectanda ſolo*. Al. *a Deo expetenda eſt ſolo*.

c *Ab homine expectes* Al. *expetes*. Al. *expetas*: *bene-*

illa, ſed beneficii fœneratio: nec poteſt videri bene meruiſſe [d], qui quod fecit, non alteri, ſed ſibi præſtat: & tamen redit [e]; ut quod alteri quiſque præſtiterit, nihil ab eo commodi ſperans, vere ſibi præſtet, quia mercedem capiet a Deo.

---

beneficii foeneratio. Al. *remuneratio*. Betulejus heic *At qui*, inquit, *Sic quoque fœneratio erit ſi ſpe etiam divinitus recipiendi, proximo bene fecerimus* &c. Et poſt pauca. *Taceo quod ſic fierent opera meritoria, quæ ſine fraude meritorum Chriſti ſtatui non poſſunt* &c. Sed primus error refellitur a nobis diſſ. XXXVII. Cap. VII. §. V. ſecundus recto diſſ. & cap. iiſdem §. 3.

d *Benemeruiſſe*. Aldus, & noſtro Bon. *benemeritus eſſe*.

e *Et tamen redit*. Sic etiam Aldus. Al. *& tamen eo redit res* &c.

3

Idem Deus præcepit, ut ſi quando cœnam paraverimus, eos in convictum adhibeamus [a], qui revocare non poſſint; & vicem reddere, ut omnis actus vitæ noſtræ non careat miſericordiæ munere.

Nec

---

a *Eos in convictum adhibeamus, qui revocare non poſſint*. Bunem. refert Jani Gulielm. in *Plaut. Amphitr. Quæſt.* VIII. Notam hanc: *Qui Lactantium ad hunc*

hunc Cicer. locum, Scilicet orat. pro Roſc. Amerito, *reſpexiſſe non videt, Lactantium ignorat.* Optime quidam quantum ad ſignificationem verbi; quantum ad ſententiam Lactantius Chriſti Domini conſilium reſpicit Luc. XIV. ℣. 12. *Quum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte, & ipſi reinvitent, & fiet tibi retributio; Sed quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur etiam tibi in reſurrectione juſtorum.* Bon. *in conventu atribuamus, qui ire non poſſint.* Al. *redinvitare* & ſic Schottus.

4

Nec tamen quiſquam interdictam ſibi putet [a], aut communione cum amicis, aut charitate [b] cum proximis; ſed notum nobis Deus fecit, quod ſit verum, & juſtum opus, ita nos oportere cum proximis vivere, dummodo ſciamus, illud ad hominem, hoc ad Deum pertinere.

a *Interdictum ſibi putet*: Explicat laudatam authoritatem, quam ipſæ præceptum continere dixerat: *Idem Deus præcepit* &c. Al. *interdictam*: Scilicet communionem. Forte non male. Noſtram lectionem intellige pro antiquorum more *vetitum non eſſe putet*.

b *Communione ... aut charitate.* Sic etiam Aldus, & Schottus. Al. *communionem caritatem*.

§ 5 §

Præcipua igitur virtus eſt hoſpitalitas, quod philoſophi quoque ajunt; ſed eam detorquent a vera juſtitia, & ad commodum rapiunt. *Recte*, inquit, Cicero[a], *a Theophraſto*[b] *eſt laudata*[c] *hoſpitalitas. Eſt enim* (*ut*

---

a *Cicero*. Nempe Lib. II. de *Officiis*. Cap. XVIII.

b *A Theophraſto*: Teophraſtus Ereſius, filius Melanthi, & diſcipulus Ariſtotelis: quem & Leucippum, & Platonem quidam dicunt audiviſſe. Tempore Alexandri Magni claruit. Nomen ei *Tyrtamus*, Ariſtoteles ob ejus eloquentiam immutavit. Scholam aperuit, quam teſte Euſychio circiter duo diſcipulorum millia frequentarunt. S.Hieron. in Epiſt. ad Nepotianum, eum centum & ſeptem annos vixiſſe tradit: vide Fabric. Bibl. Græc. tom.II. c. IX.

c Est laudata &c. Hæc verba Ciceronis ſunt loco citato: nec fidas Langletio dicenti, ea reperiri prope finem Lib. *de Officiis*, fruſtra enim ibi queras. Bunem. citat. L.III. c.XVIII. ſed errat in libro. Iſæus vero, & Cellarius recte indicant; licet diverſam editionem, & in capitulis varietatem habeant; nam ſententia hæc habetur L.II. Cap.XVIII. *de Offic.* hiſce verbis: *Recte etiam a Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas; eſt enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus, Idque etiam Reipublicæ ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in Urbe noſtra non egere. Eſt autem etiam vehementer utile iis, qui honeſte poſſe mul-*

(ut mihi quidem videtur) valde decorum[d], *patere domos hominum illuſtrium hoſpitibus illuſtribus .*

---

multum volunt , per hoſpites apud externos Populos valere opibus , & gratia . De hoſpitalitate autem veterum Chriſtianorum , monumenta extant in quolibet ex Patribus , ac ſcripturæ interpretibus , ut neſciam quem eligam . Inopem me copia facit .

d VALDE DECORUM . Bon. *laude decorum* .

6

Eodem modo rurſus erravit , quo tum , quum *idoneis eſſe diceret largiendum* . Non enim juſti , & ſapientis viri domus illuſtribus debet patere , ſed humilibus , & abjectis . Nam illuſtres illi , ac potentes nulla re poſſunt indigere , quos opulentia ſua , & munit , & honorat .

7

Nihil autem a viro juſto faciendum eſt , niſi quod ſit beneficum [a] . Beneficium autem , ſi refertur , interit , atque finitur , nec enim poſſumus id habere integrum , cujus pretium nobis perſolutum eſt .

In

---

a *Niſi quod ſit beneficum.* Bon. *Beneficium*, quæ eſt vox ſequentis periodi prima .

8

In his itaque beneficiis juſtitiæ ratio verſatur, quæ ſalva [a], & incorrupta, permanſerint. Permanent autem non aliter, quam ſi præſtentur hominibus iis, qui prodeſſe nullo modo poſſunt.

---

a *Quæ ſalva*. Al. *qua ſelva*.

9

At ille in recipiendis illuſtribus nihil ſpectavit aliud, niſi utilitatem, nec diſſimulavit homo ingenioſus, quid ex eo commodi ſperaret. Ait enim qui id faciat [a], potentem apud exteros futurum per gratiam principum, quos ſibi hoſpitii, & amicitiæ jure conſtrinxerit [b].

---

a *Qui id faciat*: Al. *quid faciat*.
b *Conſtrinxerit*. Al. *conſtrinxerunt*.

10

O quam multis argumentis Ciceronis inconſtantia, ſi id agerem, coargui poſſet [a]: nec

---

a *Coargui poſſet*: Al. *redargui*, quod verbum Ciceronianum eſt, ut bene notat Bunem.

nec tam noſtris, quam ſuis verbis refelletur.

---

b *Refelletur*: Heum. hanc lectionem prætulit illi, quæ habet: *refelleretur*. Hæc autem propugnatorem Bunem. nacta eſt.

11

Idem quippe ait [a], ut quiſque maxime ad ſuum commodum referat quæcumque agit, ita minime eſſe virum bonum. Idem etiam negat [b] ſimplicis, & aperti hominis eſſe, ambire, ſimulare aliquid, & prætendere, aliud agere videri, quum aliud agat [c]: præſtare ſe alteri fingere, quod ſibi præſtet: ſed malitioſi potius, & aſtuti, & fallacis, & ſubdoli.

---

a *Idem quippe ait*: Cicero L.I. *de legibus*, inquit: *Ut quiſque maxime ad ſuum commodum refert quæcumque agit, ita minime eſt vir bonus.*

b. *Idem enim negat* &c. Non ſunt hæc verba Ciceronis, ſed ſententiam continent, ſic ab eo expreſſam L.III. *de Offic.* paullo ante medium: *Neque enim id eſt celare, quidquid reticeas: ſed quum, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus, quale ſit, ac cujus hominis, quis non videt? Certe non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non viri boni; verſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri* &c.

c *Aliud agere videri, quum aliud agat*. Bon. primas quatuor voces omittit.

12

Quomodo ergo defenderet, quo minus ambitioſa illa hoſpitalitas, malitia eſſet? Tu mihi per omnes portas circumcurſes [a], ut advenientes populorum, atque urbium principes domum tuam invites, ut per eos apud cives eorum potentiam conſequare, veliſque te juſtum, & humanum, & hoſpitalem videri, quum ſtudeas utilitati tuæ?

a *Tu mihi per omnes portas circumcurſes*. Al. Tò *mihi* non habent. Al. *circumcurſis*.

b *Tu mihi .... utilitati tuæ?* Heum. diverſo charactere hæc ſcribi curavit: & *ſunt*, inquit, *hæc Ciceronis verba, vel potius ei afficta a Lactantio*. Sed bene Bunem. vidit, Lactantium heic Ciceroni ironice quaſi inſultare. Melius tamen dixiſſet, interrogationem hanc eſſe, eaſque indicaſſet puncto congruenti, ut fecit Iſæus; quem imitamur.

13

Verum in hoc ille non potius incaute [a]? Quid enim minus in Ciceronem convenit? Sed ignorantia veri juris, prudens, ac ſciens in hos ſe laqueos induit [b].

Quod

a *Verum hoc ille non potius incaute?* Et heic punctum interrogationis adde.

b *In hos ſe laqueos induit*. Al. *induxit*: Fulvius Urſin.

Urſin. *Quidam*, ait, *ex antiquo Cod. legunt* induit, *quæ ſane lectio confirmatur loco Ciceronis ex Lib.II. in Verrem, ubi ſic ait*: *Hic videte in quot ſe laqueos induxerit, quorum ex nullo ſe unquam expediet*; Verum tam Lactantius, quam Cicero utramque phraſim alibi adhibuerunt. E. G. infra Cap. XIV. ſeg.6. *Cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur*; & Cicero De Finib: *Eos igitur vos inducitis in eas captiones, quas numquam explicetis*: Bon. *in has ſe adque hos induit*.

14

Quod ut ei poſſit ignoſci, teſtificatus eſt [a], non ad veram juſtitiam, quam non teneat, præcepta ſe dare; ſed ad umbram imaginemque juſtitiæ. Ignoſcendum eſt igitur umbratico, & imaginario præceptori [b], nec ab eo veritas exigenda eſt, qui ſe neſcire fateatur.

I 2 Ca.

a *Teſtificatus eſt*: Reſpicit ad illam eandem Ciceronis ſententiam, quam hoc edem libro recitavit Cap.VI., & XI.

b *Umbratico & imaginario præceptori*: Encopius apud Petron. *in Satyr.* paullo poſt initium: *Nondum Umbraticus doctor ingenia deleverat*: Gellius L.III. C.I. *Negociis ſe plerumque Umbraticis, & Sellulariis quæſtibus intentos habeat*. Noſter autem reſpicit ad illam Ciceronis ſententiam ſæpe laudatam: *Umbram, imaginemque juſtitiæ*; Sicuti Lib.III. C.XXIII. Ii, quos in Concavo lunæ ſinu habitare dicebat Xenophanes

phanes, ab eo *Lunatici homines* non ſine lepore appellati ſunt.

15

Captivorum redemptio magnum, atque præclarum juſtitiæ munus eſt. Quod idem ipſe Tullius approbavit [a]. *Itaque hæc benignitas*, inquit [b], *etiam Reipublicæ eſt utilis, redimi e ſervitute captos* [c], *locupletari tenuiores. Hanc ego conſuetudinem benignitatis, largitioni munerum longe antepono. Hæc eſt gravium hominum, atque magnorum.*

a *Tullius approbavit*. Scilicet ubi ſupra Lib. II. *de Officiis*.

b ATQUE HEC BENIGNITAS, *inquit*, &c. Bon. *Adque benignitas id quidem*.

c E SERVITUTE CAPTOS. Al. *captivos*. Al. *a ſervitute*. Al. *præpoſitionem omittunt*.

16

Proprium igitur juſtorum opus eſt, alere pauperes, ac redimere captivos: quum apud injuſtos, ſi qui hæc faciant, graves, & magni appellentur. Iis enim maximæ laudis

dis eſt [a] benefacere, quos nemo ſperavit eſſe facturos [b].

a *Maximæ laudis eſt*: Schottus, & Betulejus. *laudi*, quæ lectio placuit Ritterſush. *ad Guntheri Ligurin. L. I. p.* 38.

b *Nemo ſperavit eſſe facturos*. Hem. marte ſuo: *paria eſſe facturos*. Daviſius: *Queis nemo* &c. Hanc ſecundam lectionem equidem approbo; nam ſenſui, & characterum noſtri Codicis ductibus congruentior eſt.

17

Nam qui bonum facit vel conſanguineo, vel proximo, vel amico, aut nullam, aut certe non magnam laudem meretur, quia facere debet: ſitque impius, ac deteſtabilis niſi fecerit id, quod ab eo & natura ipſa, & neceſſitudo exigit, & ſi facit, non tam gloriæ aſſequendæ, quam reprehenſionis vitandæ gratia [a] facit.

a *Reprehenſionis vitandæ gratia*. Al. *vitandæ cauſa*: cum Iſæo.

18

Qui autem facit alieno [a], & ignoto, is ve-

a *Qui autem facit alieno* &c. Abſunt tria prima verbo a Cod. Bon. noſtro.

is vere dignus eſt laude : quoniam , ut faceret , ſola ductus eſt humanitate . Ibi ergo juſtitia eſt , ubi ad bene faciendum , neceſſitatis vinculum nullum eſt .

19

Hoc igitur officium benignitatis ne anteponere quidem [a] largitioni munerum debuit , quod eſt comparantis , & e duobus bonis id , quod ſit melius , eligentis .

---

a *Ne anteponere quidem* . Al. *non anteponere* .

20

Illa enim largitio hominum patrimonia ſua in mare abjicientium [a] , inanis , & levis , & ab omni juſtitia remotiſſima eſt . Itaque ne dici quidem munera oportet, in quibus nemo accipit , niſi qui accipere non meretur . Non

---

a *Illa enim largitio hominum patrimonia ſua in mare abiicientium* . Langletius heic ait : Hic notatur Crates , de quo ſupra Lib.III. Cap.XXIII. Nondum enim viderat Bunnemannum ſcite heic annotantem : *Non hic agitur* de vano Philoſopho , de quo Lib.III. Cap.XXIII. Seg.5. , qui patrimonium effudit in mare ; *Immo verba in omnibus ſcriptis & editis* IN MARE , *vix hoc loco,ubi de largitione munerum agitur,quadrant,niſi ſumas de ludrica pugna navali*, NAUMACHIA, *de qua Sue-*

Suetonius in Claudio Cap. XXI. Mallem , ſi vel unus bonus Codex faceret , legere ; in munera abiicientium : nam *n.19. largitio munerum n.20. munera ; Confer n.40. C.11.21.22.* OPES EXHIBENDIS MUNERIBUS IMPENDUNT . Legerant tamen ambo Betulejum , & Walchium , qui Langletio præiverant ; omnes tamen a ſcopo aberrarunt , Lactantius enim reſpexiſſe videtur ad id quod idem ipſe dixit in hocce eodem Lib. Cap.VIII. Seg.2. *Errant ergo velut in mari magno , nec quo ferantur intelligunt , quia nec viam cernunt , nec ducem ſequuntur .* Quare Tò *in mare abiicientium* idem valet ac ſi particula adeſſet *Ceu* , id eſt *ceu in mare abjicientium* . Mare enim , quicquid ſuſtantias ſine ſpe devorat , eleganter dicitur : Ideo Plautus *Aſinaria Act.*1. *Scen.*1. Meretricem appellat mare accerrimum ℣.8.

Nam Mare haud eſt mare : Vos mare acerrimum .
Nam in Mari reperi , hic elavi bonis &c.

21

Non minus magnum juſtitiæ opus eſt , pupillos , & viduas deſtitutos , & auxilio indigentes tueri , atque defendere . Quod adeo univerſis divina lex illa præſcribit [a] ,

I 4 quan-

a *Divina lex illa præſcribit* : Sæpe in Scripturis Sanctis de ope feranda pupillis , ac viduis Dei præcepta leguntur; præcipue Deutoron.XXVI. ℣.12. *Dabis Levitæ , & Advenæ , & Pupillo , & viduæ , ut comedant intra portas tuas , & ſaturentur ;* Et propius ad

La-

quandoquidem boni quique judices [b] ad officium ſuum judicant pertinere, ut his naturali humanitate faveant [c], ac iiſdem prodeſſe nitantur.

Ve-

Lactantii mentem Cap. XXVII. v. 19. *Maledictus qui pervertit judicium Advenæ, Pupilli, & Viduæ.* Exod. XXII. v. 22. *Viduæ, & Pupillo non nocebitis* &c.

b *Quandoquidem boni quique judices* Bon. *Quandoque* Laurentius Valla, & alii quidam Philologi male cum poſitivis jungi putant pronomen *Quiſque* ſed Plautus, *in Merc. ſuam*, dixit, *quiſque homo rem meminit* &c. Apud Athenienſes Archontibus negocium dabatur inveniendi, cui pupillum regendum darent. At Charondas paternis conſanguineis ſucceſſionem tradidit, & bonorum adminiſtrationem: maternis vero pueri educationem, ut omne periculum, ſublata ſpe ſucceſſionis, a vita pupillorum amoveretur, & bona cautius adminiſtrarentur ab iis, ad quos poſſet aliquando deferri. Ad Romanos tranſiit lex iſta, ac in XII. Tabul. legitur ſic ordinata.

Si Pater familias inteſtato moritur, cui impubes ſuus hæres eſcit: agnatus proximior tutelam nancitor.

Si Tutor dolo malo gerat: Vituperato:

Quandoque finita tutela eſcit; duplione luito. Adde Cicer. *De Oratore*, in *Orationib.* Pro *Cæcina*, pro *Reſcio Comædo* &c. & in ff. L. 1. de *Suſp. Tutor. vel Curat.* necnon DD. ad LL. XII. *Tabul. Cap XXXI.*

c *Ut his naturali humanitate faveant*: Sic Aldus etiam, & Schottus. Al. *ut eos humanitate naturali foveant*. Quamquam ultra laudatas leges aliæ poſtmodum

dum a Romanis latæ ſunt: E. g. *Attilia*, *Julia*, *Titia*, de quibus Juſtinianus *Inſtit.* Cap. xxi. Lib. 1. agit; tamen Betulejo reprehenſione dignus viſus eſt eo nomine Imperator iſte, quod pupillis, ea conditione tutorem dari publice juſſit; Si facultates ejus ad quingentos ſolidos valeat. Quaſi vero pupillus non gravibus pereclitetur, qui de unius ſolidi ſummum in periculum veniat, quam qui de centum. Itaque verum eſſe ait, quod heic Lactantius attigit, Ethnicos non perſpexiſſe, cur Tutores pupillis dari debeant, quorum leges in ſuo Codice Juſtinianus digeſſit.

22

Verum hæc opera proprie noſtra ſunt [a], qui legem, qui verba ipſius Dei præcipientis accepimus. Nam illi ſentiunt quidem natura eſſe juſtum, tueri eos, qui tutela carent: ſed, cur ita ſit, non perſpiciunt.

a *Proprie noſtra ſunt*: Al. *propria noſtra ſunt*. Al *opera quippe noſtra ſunt*.

23

Deus enim, cujus perpetua clementia eſt, iccirco viduas, pupilloſque defendi, ac foveri jubet, nequis reſpectu [a], ac miſeratione pignorum ſuorum retardetur, quo minus mortem pro juſtitia, fideque ſuſcipiat; ſed

ſed incunctanter, ac fortiter ſubeat, quum ſciat, ſe charos ſuos [b] Deo relinquere, nec his unquam præſidium defuturum.

a *Ne quis reſpectu, ac miſeratione* &c. Mira Fidelium ab Eccleſiæ primordiis fuit cura pupillorum, atque viduarum, præſertim illorum, qui Martyrio coronabantur, ut in eorumdem ſinceris actis paſſim oſtendunt exempla. Nomina eorum, qui de Martyrum familia erant, in indiculo deſcribebantur, ut ex piorum hominum largitionibus alerentur. Vide Comment. Scriptores ad 1. *D. Paulli Epiſt. ad Timoth.* Cap.V. ℣.3.

b *Charos ſuos*: Schottus. *forte*: *caritates ſuas*.

24

Aegros quoque, quibus defuerit, qui aſſiſtat, curandos, fovendoſque ſuſcipere, ſummæ humanitatis, & magnæ operationis eſt [a]: quod qui fecerit, hic vivam hoſtiam Deo

a *Et magnæ operationis eſt*. Tò *operationis* in noſtro Bon. Ms. Cod. punctis quibuſdam notatur. Schottus hanc vocem delevit. Heum. *Eget*, inquit, *iſte locus interprete. Eſt ſcilicet operatio hoc loco vocabulum ſacrum, de quo videndus Pareus in Lexico Critico. V. operari.* Et bene: nam heic *operatio* idem valet *ac miſeratio*, ſeu *pietatis opus*. Unde Roſvveydus, & Heinſius jubent reſtitui in Prudentii *Pſychomachia*, ubi contra Ms. fides Aldus edidit; *Miſeratio* pro *ope-*

Deo acquiret, & quod alteri dederit ad tempus, ſic a Deo accipiet in æternum [b].

---

pro *operatio*. Sicuti heic factum eſt a Torneſio, & ab aliis quibuſdam. Bunem. & alii, qui locum Prudentii indicant, errant in carminum numeris; non enim reperitur ℣.575. ut ipſi notant, ſed ℣.641. ubi legitur.

Quum ſubito in medium frendens Operatio Campum
Proſilit auxilio ſociis, pugnaſque capeſcit.
Militiæ poſtrema gradu &c.

Adde Cyprianum *de Opere, & Eleemoſ.*, ac *De Unit. Eccl.* ubi ſimilia invenies exempla.

b *Sic a Deo accipiet in æternum*. Hanc inter Chriſtianos viguiſſe pietatem, ac ſpem, luculentiſſime oſtendunt non ſolum Noſocomia ad ſingula morborum genera curandorum ampliſſime extructa, perpetuo piorum virorum acceſſu frequentata, ac ſanctiſſimis legibus conſtituta; verum etiam præclara Eccleſiæ lumina *S. Joannes de Deo*, & *S. Camillus de Lellis*, quorum primus corporibus, alter animabus ægrotantium ſalutis procurandæ cauſſa religioſam familiam inſtituit.

25

Ultimum illud, & maximum pietatis officium eſt, peregrinorum, & pauperum ſepultura [a]: quod illi virtutis, juſtitiæque do-

---

a *Peregrinorum, ac pauperum ſepultura*. Apud He-

doctores prorſus non attigerunt [b]. Nec enim poterant id videre, qui utilitate omnia officia metiebantur [c].

Hebræos morem obtinuiſſe parentandi peregrinorum cadavera in loco aliquo, a cæteris diſtincto, non ſolum conſtat *ex Matth. XXVII.* ℣. 7. *ſed* etiam *ex IV. Reg.* Cap. XXIII. De pauperum vero ſepulchris mentio fit apud *Jerem.* XXVI. ℣. 23. Apud Romanos ſervorum commune ſepulchrum in Aeſquiliis erat; unde Horatius *L.* 1. *Serm. ſatyra* VIII. ℣. 8. Sic locum deſcribit.

Huc prius anguſtis ejecta cadavera cellis.
Conſervus vilis portanda locabat in arca.
Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.

Loca hujuſmodi; Græcis *Polyandria* ex Epiph. L. 1. *Hær.* XXX. §. VIII. Latinis *Puticulæ* ex Varrone de L. L. Lib. IV.; omnes fere apud populos, quibuſdam ſolummodo exceptis, qui nec domos habent, nec Urbes incolunt, fuiſſe facile crediderim, ad hoc enim debitum humanitati officium non ſolum pietas, verum etiam communis naturæ ſenſus hominem quemcumque compellit; ſaltem ne conſortem ſuum, more pecudum, inhumatum relinquens, triſte; atque horrendum oculis ſpectaculum exhibere contingat. Quare non de hujuſmodi pauperum publicis ſepulchris heic locutum eſſe Lactantium intelligi debet: ſed potius de ipſa cura, quam de mortuis habendam docuit poſt ipſum S. Auguſtinus, ut Diſſ. XXVIII. Cap. IV. §. VI. diſſeruimus.

b *Prorſus non attigerunt.* Schottus ad oram ſui Codicis p. 347. ſic ſuo annotavit charactere: *Immo multi præcipuam curam defunctorum habuerunt; quod, ut*

ut alios ommittam ſcilicet Platonem , Ariſtotelem , Ciceronem , &c. ſatis declarant LL. XII. Tabularum ; ſed Lactantius intelligit pauperum ſepulturam fuiſſe non honorificam ; ſed neceſſariam , ne fœtor cadaverum noxius eſſet : tamen de hac pietate veteres præcepta dediſſe conſtat . Jacobus Perizonius in notis ad L.V. C.xiv. Aeliani *Var.Hiſt.* Scriptores paganos de pauperum , perigrinorumque ſepultura agentes adverſus Lactantium recenſuit : Noſtrum vero vindicavit Hieronym, Magius L.II. *Miſcel.* , Cap.xix. & Iſæus heic ut diſſ. ſuperius laudata videret poteris .

c *Omnia officia metiebantur* , Al. addunt *ſua* .

26 .

In cæteris enim , quæ ſupra dicta ſunt , quamvis verum limitem non tenuerint , tamen quoniam commodi aliquid in his deprehenderunt , quaſi odore quodam veritatis [a] retenti, propius aberraverunt [b] : hoc autem, quia nihil videre in eo commodi poterant [c]. reliquerunt .

Quid

a *Quaſi odore quodam veritatis* . Al. *virtutis*. Vide ad L.II. Cap.III. Seg.17.

b *Proprius aberraverunt* . Bon. *proprius oberraverunt* . Al. *aberrarunt* .

c *Nihil videre in eo commodi poterant* . Nota heic ad mentem Authoris intelligendam , commodum duplex eſſe , privatum ſiquidem , & publicum . Hocce ſe-

ſecundum non fuit in pauperum ſepultura ab Ethnicis neglectum , idque leges reſpiciunt , & quicquid apud eos hac de re ſcriptum eſt . Illud vero , quod unicuique , qui ſepeliendis pauperibus opera dant , obvenire ex tam pio opere credimus , illud eſt , quod Pagani neglexerunt , quia id noſcere non poterant , defectu revelationis. Vide Interpretes ad Tobiæ XII. ℣. 12.

27

Quin etiam non defuerunt , qui ſupervacaneam facerent ſepulturam [a] , nihilque eſſe dicerent mali , jacere inhumatum [b] , atque abjectum . Quorum impiam ſapientiam

a *Qui ſupervacaneam facerent ſepulturam* . Apud Ciceronem L.I. *Quæſt Tuſcul.* hujus ſententiæ authores recenſentur Socrates , Diogenes , & Anaxagoras , quibus addi debent Demonactis , & Theodorus , cui quum Lyſimachus Rex crucem minaretur , reſpondiſſe fertur ; *Iſtis quæſo iſta horribilia minitare Purpuratis tuis : Theodori quidem nihil intereſt , humine , an ſublime putreſcat* . Is barbaræ quædam gentes adnumerandæ ſunt : E. g. Hyrcani , qui mortuos ſuos canibus , & Indi , qui vulturibus vorandos exponunt, Scythæ , qui humana cadavera ex arboribus ſuſpendunt , de quibus extat Silii Italici teſtimonium , L. III. 552.

At gente in Schithica ſuffixa cadavera truncis .
Lenta dies ſepelit , putri liquentia tabe .

Sic

tiam cum omne humanum genus [c] reſpuit, tum divinæ voces, quæ id fieri jubent [d].

Sic etiam Colchi, de quibus Aelianus ait Lib. IV. Cap. I. Var. Hist. *Mortuos ſuos in pellibus ſepeliunt, & inſutos in arboribus ſuſpendunt.*

b *Nihilque eſſe dicerent mali, jacere inhumatum* &c. Seneca hujus ſententiæ fuiſſe videtur quum ait Epiſt. XLII. *Sed ut ex barbæ capillos detonſos negligimus, ita ille divinus animus egreſſurus hominem, quod receptaculum ſuum deferatur, ignis illud exurat, an feræ diſrahant, an terra contegat, non magis ad ſe judicat pertinere, quam ſecundas ad editum infantem. Vtrum projectum aves differant, an conſumatur canibus data præda marinis, quid ad illum? qui tum quoque, quum inter homines eſt, nullas minas timet. Vllas ne timebit poſt mortem minas eorum, quibus uſque ad mortem timeri parum eſt? Non conteret, inquit, me ne uncus, nec projecti ad contumeliam cadaveris laceratio fœda viſuris. Neminem de ſupremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. Ne quis inſepultus eſſet, rerum natura proſpexit. Quem ſævitia projecerit, dies condet: diſerte Mecænas ait:* Nec tumulum curo: sepelit natura relictos: Hæc autem de ſe ſi ab homine juſto dicantur tyranno inique eum ad malum perpetrandum minis urgenti, fortitudinis erunt ſpecimina: Si vero de aliorum cadaveribus ſic communiter aliquis ſentiat, feritatis, inhumanitatiſque notam non effugiet.

c *Omne humanum genus.* A primis Adæ temporibus morem parentandi mortuorum cadavera plurimi reperunt ſcriptores, inter quos Arinchius ad Boſ. *Rom. ſubter.* L.I. Kircmann. *de Funer.* ſeu potius Meurſ. ad

Lycorphr. & Turneb. *in Adverſ.* Nec mirum ; nam feræ beſtiæ, quæ inter muta animalia minus ab homine diſtare cenſentur, idem ſuis præſtare dicuntur, teſte Aeliano L.V. Cap. XLIX. ubi ex Aethiopum hiſtoriis narrat: *Elephas ſi Elephantem mortuum viderit, non præterit, niſi proboſcide terram effodiat, & illi injiciat. Ita jus quoddam reconditum reſpectu communis naturæ præſtans, & fugiens piaculum. Illud enim non præſtare eſt impium.*

d *Tum divinæ voces, quæ id fieri jubent.* Eccl.XXXVIII. ℣.16. hæc habentur: *Fili in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundum judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius.* Ideoque in ſacris hiſtoriis hocce pietatis officium paſſim juſtis laudibus celebratur, memorantque præclara ſanctiſſimorum virorum, ac mulierum nobilium exempla, quibus non ſolum ſuis; ſed etiam exteris juſta funebria eos perſolviſſe manifeſtum fit. *Unde* inquit Auguſtinus L.I. *de Civit. Dei* Cap.XIII. *& Juſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ, & ſepultura proviſa: ipſique dum viverent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus filiis mandaverunt* &c.

28

Verum illi non audent dicere, id non eſſe [a] faciendum: ſed, ſi forte non fiat, nihil

a *Non audent dicere, id non eſſe faciendum* &c. Nullus enim fuit unquam tam demens, ac efferatæ indolis, ut bonum eſſe diceret, ſepultura carere: niſi quum

hil eſſe incommodi. Itaque in ea re non tam præcipientium, quam conſolantium funguntur officio: ut ſi forte id ſapienti evenerit, ne ſe ob hoc miſerum putet.

---

quum leges aliquæ jubent ſceleſtorum hominum cadavera inhumata eſſe proicienda, cinereſvæ, & oſſa ad populi terrorem ſpargenda, ut omnes a criminibus quibuſdam atrocioribus avertantur. Sic in primis agitur cum tyrannorum cadaveribus, ut ex Quintiliano patet *Decl.* CCLXX. IV. Item proditorum, qui adverſus patriam, aut rempublicam aliquid feciſſe convicti ſunt: *Decernit propulus Critia authore*, inquit Lycurgus in ORAT. CONTRA LEOCRATEM, *ut mortuus Phrynichus in judicium vocetur proditionis nomine, convictuſque criminis, in regione ne ſepultus ſit: ſed refoſſa ejus oſſa foras extra Atticam projiciantur, ut ne oſſa quidem proditoris urbis, & regionis ſita ſint in regione*. Apud Græcos id factum aliquando eſſe narrant Aelianus, Diodorus, & Plutar. apud Latinos Hyginus, & Cicero, qui L.II. *de Legib.* Cap.XVII. *Impii*, inquit, *non ſolum vita cruciati, atque dedecore; verum etiam ſepultura, & juſtis caruerunt*, Hinc Sacri Canones Eccleſiaſtica ſepultura privant omnes notorie excommunicatos, Hæreticos, ac etiam Paganos, Judæos, & quoslibet in *actu peccaminoſo* decedentes; quamquam ſuis permittant, ut eorundem cadavera extra ſacrum locum, ac ſine funebri apparatu, in terra recondant.

29

Nos autem non quid ſapienti ferendum

ſit [a], dicimus, ſed quid facere ipſe debeat. Itaque non quærimus nunc, utrumne tota ſepeliendi ratio ſit utilis [b] nec ne: ſed hæc, etiamſi

---

a *Non quod ſapienti ferendum ſit*. Bon. *fugiendum ſit*.

b *Tota ſepeliendi ratio ſit utilis*. Quamquam primis Eccleſiæ ſæculis in ſepulturæ officia quædam ſenſim irrepſiſſent humanæ infirmitatis ſpecimina, quæ Auguſtini ſententia *potius vivorum ſolatia, quam ſubſidia mortuorum dicanda ſunt*, L. I. *de Civ. Dei C.XII.* Hinc tamen non licet inferre, omnia inutilia eſſe, quæ a fidelibus exercentur in gratiam defunctorum, præſertim quæ in ſuffragium animarum illorum fiunt: *Sancta enim, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* II. Machab. Cap.XII. ℣.46. Hoc negant Sectarii, qui cum Calvino L.*III. Inſt.* ſuarum Cap.V.§.XI. ait: *Ante mille, & trecentos annos uſu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis*. Quando ſcilicet Aetius, Euſtachii Epiſcopi Sebaſteni in minori Armenia aliquando ſodalis, poſtea æmulus, demum hæreſiarcha, dogma iſtud, blaſphemiis impugnare cœpit, quem uno ſpiritu SS.Patres refutarunt. Non audet hoc negare Calvinus, ſed eorum effatis preſſus ait: *Omnes, fateor in errorem abrepti fuerunt*. Noſce, Lector, hominis temerarii intollerabilem impudentiam. Quum negare non poſſet orbi univerſo notiſſimam veritatem, *omnes*, nemine excepto, ſanctiſſimos, doctiſſimoſque Eccleſiæ Patres, ac Antiſtites, quibus tradidit Deus claves ſcientiæ, errore abreptos traducit, & manifeſto mendacio quum primum ab Hæreſiarcha antiquiſſima, atque divinam

etiamſi ſit inanis [c] (ut illi exiſtimant) tamen facienda eſt, vel ob hoc ſolum, quod apud homines bene, & humane fieri videtur. Animus enim quæritur, & propoſitum [d] ponderatur.

nam inſtitutionem reprobari novit, tum eam ſubintroductam, comminiſcitur. Adde Conſtantini M., Anaſtaſii, atque Juſtiniani Impp. a Baronio laudatas *Conſtitutiones* ſub Ann. CCCXXXVI. num. LXXII.

c *Etiam ſi ſit inanis* Al. *licet hæc etiamſi*, quam lectionem quaſi pleonaſmo tumidam, quidam defendunt, merito tamen heic ſibi non placere dixit Bunem.

d *Animus enim quæritur, & propoſitum* &c. Al. *oppoſitum* Al. *depoſitum*.

30

Non enim patiemur figuram, & figmentum Dei [a] feris, ac volucribus in prædam jacere, ſed reddemus [b] id terræ, unde ortum eſt: & quamvis in homine ignoto neceſſariorum munus implebimus [c]: in quo-

 rum

a *Non ergo*. Al. *Non enim*.

b *Figuram, ac figmentum Dei*. Bon. *& figmentum Dei fieri*; ſed &c. Pro *figura* intellige heic opus effigiatum, ſive formatum ab ipſo Deo.

c *Reddemus*. Al. *reddamus*.

rum locum [d], quia deſunt, ſuccedat humanitas, & ubicumque homo deſiderabitur, ibi exigi officium noſtrum putabimus.

d *Neceſſariorum munus implebimus*. Sic meliores, & antiquiores Ms. Codices. Al. cum Iſæo: *neceſſariorum ſepulturam nulli negandum munus* &c. Al. *negandam*.

e *In quorum locum*. Al. *in quorum loco*.

31

In quo autem magis juſtitiæ ratio [a] conſiſtit, quam in eo, ut quod præſtamus noſtris per affectum, præſtemus alienis per humanitatem, quæ eſt multo certior, juſtiorque? Quum jam non homini [b] præſtatur, qui nihil ſentit, ſed Deo ſoli: cui chariſſimum ſacrificium eſt, opus juſtum.

a *Magis juſtitiæ ratio*. Prima vox in noſtro Cod. deſideratur.

b *Quæ eſt multo certior, juſtiorque, quum jam non homini* &c. Bon. *certior, quæ quum jam* &c. Al. *quæ quum ſit jam non* &c. Al. *quæ quum ſit*.

32

Dicet aliquis fortaſſe, *Si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim ſi magnus hominum numerus egebit, algebit, capietur,*

tur, morietur, ut hæc facientem vel una die patrimonio exui, ſit neceſſe? perdamne rem familiarem, meo, aut meorum [a] *labore, quæſitam: ut jam ipſi mihi aliena miſericordia vivendum ſit?*

---

a MEO, AUT MEORUM: Al. *meo, aut majorum*.

33

Quid, tu tam puſillo animo paupertatem times? quam etiam veſtri philoſophi laudant, nihil hac tutius, nihilque [a] tranquillius eſſe teſtantur. Hoc, quod times, ſolicitudinum portus eſt.

---

a *Philoſophi laudant? Nihil hac tutius, nihilque* &c. Bon. *nihilque hanc tutius, nihilque* &c. Hanc ſententiam ſæpe inculcat Seneca, præcipue vero ab Epiſtola XVII. ad XXI.

34

An ignoras, quot periculis, quot caſibus [a] cum his malis opibus ſubjaceas? Quæ tecum bene agent, ſi ſine tuo cruore tranſierint. Tu vero præda onuſtus [b] incedis, & ſpo-

---

a *Quot periculis, quot caſibus* &c. Bon. *quod periculis, quod* &c.

b *Tu vero præda onuſtus*. Bon. *in præda*.

ſpolia geris, quæ irritent animos etiam tuorum.

35

Quid ergo dubitas, bene collocare id, quod tibi forſitan eripiet aut unum latrocinium, aut exiſtens repente proſcriptio, aut hoſtilis aliqua direptio? Quid verere fluxum, & fragile [a] bonum facere ſempiternum? aut theſauros tuos [b] cuſtodi Deo credere [c], ubi non furem, prædonemque timeas. Non rubiginem, non tyrannum? Qui apud Deum dives eſt, pauper eſſe nunquam poteſt.

---

a *Quid verere fluxum, & fragile.* Bon. *Quid verere fixum, &* Al. *ac.*
b *Theſauros tuos*, Bon. *thenſauros ſuos.*
c *Credere.* Al. *tradere.*

36

Si juſtitiam tanti putas, ſequere abjectis oneribus, quæ te premunt. Libera teipſum compedibus [a], & catenis, ut expeditus ad

---

a *Libera te ipſum compedibus.* Bon. *libertatem ipſum*; Forte: *libera temet ipſum &c.* Al. *libera te ipſe*, & ſic Schottus.

ad Deum curras . Magni , & excelſi animi eſt , deſpicere , & calcare mortalia [b] .

b *Deſpicere , & calcare mortalia* : Abſunt hæc omnia a Noſtro Bon. Ms. Cod.

37

Sed ſi hanc virtutem non capis , ut divitias tuas in aram Dei conferas [a],ut fragilibus tibi compares firmiora , liberabo te metu [b] . Omnia iſta præcepta non tibi ſoli dantur , ſed omni populo , qui mente conjunctus eſt , & cohæret, ſicut homo unus .

a *In aram Dei conferas* . Sic etiam Aldus ex utroque Codice,additque Thomaſius:ita ſe legiſſe in pleriſque vetuſtis Codicibus ; ſuadetque ſic legendum eſſe , nam non accipit Deus , ut recondat , ſed ut per miniſtros ſuos pauperibus diſtribuat, Vide infra ſ.40., & in Evangelicis conſiliis , & I. ad Corinth. Cap.XI. ℣.20. *Ex Canon. Apoſt.* ex Concil. & primorum ſæculorum PP.luculentiſſime oſtendimus diſſ.XXV.Cap.III. §.XI. In quodam Ms. Codice ſæc. ut creditur , XV. olim Reginæ Suecorum, poſtmodum Cardinalis Ottoboni ; nunc Vaticani ad oram paginæ 109. legitur : *in aram Dei . Non placet Hæreticis* . Adde quæ infra dicimus ſeg.40. & ad *Epitom*. Cap.LXV.ſeg.14.

b *Firmiora , liberabo te metu* . Al. *meliora , liberabo te a metu* .

38

Si ſolus magnis operibus non ſufficis, pro virili parte operare juſtitiam [a], ſic tamen, ut quantum divitiis inter cæteros, tantum opere præcellas.

a *Si ſolus magnis operibus non ſufficis, pro virili parte operare juſtitiam.* Bon. *Si magnus operibus.... .. a re juſtitiam.* Al. *pro vili parte.*

39

Neque nunc ſuaderi tibi putes, ut rem familiarem tuam minuas, vel exhaurias; ſed quæ in ſupervacua fueras impenſurus, ad meliora convertas. Unde beſtias emis, hinc captos redime: unde feras paſcis, hinc pauperes ale: unde homines ad gladium comparas [a], hinc innocentes mortuos ſepeli.

a *Unde homines ad gladium comparas.* Intellige Gladiatores, qui vel pretio conducebantur, vel propoſito prœmio invitabantur ad ludos ſanguinarios edendos, de quibus agimus diſſ. XXVII. C.XVII. ſ.XI.

40

Quid prodeſt, perditæ nequitiæ beſtiarios

rios facere locupletes [a], & inſtruere ad flagitia? Transfer ad magnum Sacrificium [b] male peritura, ut pro his feris muneribus, habeas a Deo munus æternum.

Ma-

a *Beſtiarios facere locupletes*. eos enim in ludis adhibebant pagani, ut cum feris belluis pugnarent: diverſi ſatis ab illis, qui damnabantur ad beſtias. Quis enim S. Ignatium Martyrem inviſtiſſimum hac pœna ſub Trajano inique damnatum, beſtiarium dixerit, niſi motæ mentis homo? Intellige ergo de hominibus mercede conductis, de quibus Cicero in Lucium Piſonem agens vehementer eum exagitat, quod ex Macedonia, quam Proconſul adminiſtraverat, ſocios, & amicos P.R. ſexcentos miſerit, qui cum beſtiis pugnarent in ludis, quos P.Clodii familiares exhibuerunt.

b *Transfer ad magnum Sacrificium*. Seg. 31. *Deo cariſſimum Sacrificum eſſe opus juſtum*: Noſter dixit; heic vero magnum illud appellat, quod inter alia præcellit, & veluti cuncta complectitur: Nempe Altaris incruentum, Eucharifticum, ad quod accedebant fideles Chriſti, ut ſuperius Cap.xx Seg.32.L.v.ex Noſtro vidimus. *Qui abundant*, verba S. Juſtini ſunt Apologia I. ad Anton. § LXVII., *& qui volunt, ſuo arbitrio, quod quiſque vult, largitur & quod colligitur apud eum, qui præeſt, deponitur, ac ipſe ſubvenit pupillis, & viduis, & iis, qui vel ob morbum, vel aliam ob cauſſam egent: tum etiam iis, qui in vinculis ſunt, & advenientibus peregre hoſpitibus. Uno verbo omnium indigentium curam ſuſcipit* Adde Tertull. *Apolog.* Cap. *XXXIX.* Alioſque ſuperius laudatos Seg. 37.

41

Magna eſt miſericordiæ merces, cui Deus pollicetur, peccata ſe omnia remiſſurum. *Si audieris*, inquit [a], *preces ſupplicis tui, & ego audiam tuas: ſi miſertus laborantium fueris* [b], *& ego in tuo labore miſerebor. Si autem non reſpexeris, nec adjuveris* [c], *& ego animum contra te geram* [d], *tuiſque te legibus judicabo.*

---

a *Si audieris, inquit*; &c. Hæc verba non ſunt deprompta ex aliquo divinarum ſcripturarum libro, ut bene annotavit Iſæus, quem non vidiſſe Heumannum puto, dicentem: *Vbinam? Ego quidem neſcio*; nam is ei inducaſſet Cap.VI. Luc. a ℣.36. *eſtote miſericordes* &c. *Date & dabitur vobis* &c. *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remerietur vobis* &c. & Matth.V.&c.

b *Si miſertus laborantium fueris*. Al. *ſi miſeratus fueris* &c.

c *Nec adjuveris*. Al. *audiveris*.

d *Animum tuum geram*. Al. ſecundam vocem omittunt, ſicuti in ſequentibus. Bon. omiſit *Te*.

CAP. XIII.

1

QUoties igitur rogaris [a], tentari te a Deo crede, an ſis dignus audiri [b]. Circunſpice conſcientiam tuam, & quan-

quantum potes, medere vulneribus [c]: nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim, ſi ideo largiare, quia peccaveris [d].

---

a *Quoties igitur rogaris, tentari te a Deo crede.* Bon. *Quotiens ..... temptari te a Domino* &c.

b *An ſis dignus audiri.* Al. *exaudiri*, quam lectionem præfert Heum. ſed non Bunem.

c *Et quantum potes, medere vulneribus*. Bon. *me vulneribus*.

d *Si ideo largiare, quia peccaveris*. Sic ex noſtro Bon. Codice hanc depravatam in cæteris lectionem cum Aldo reſtituendam omnino cenſeo, ubi alii legunt, *ſi Deo largiare, quia peccaveras*.

2

Nam ſi fiducia largiendi pecces, non abolentur [a]. Deus enim purgari homines a peccatis maxime cupit, ideoque agere pœniten-

---

a *Non abolentur*. Subintellige peccata eleemoſynis redimenda, nam qui eo animo largitur, propoſitum non peccandi non habet.

b *Quam profiteri, & affirmare* &c. Lib. IV. C. XVII., & infra hoc eodem libro Cap. XXIV. ita de pœnitentia Lactantius loquitur, ut ſi ea omnia, quæ ibidem docet cum iis, quæ heic habet conferantur, integram de Sacramento pœnitentiæ doctrinam is facile percipere poſſit, qui eam ignorat. Quamobrem ne Dal-

nitentiam jubet. Agere autem pœnitentiam, nihil aliud eſt, quam profiteri, & affirmare [b], ſe ulterius non peccaturum.

Dallæi, aliorumque ejuſdem furfuris prava, atque hæretica effata alicui hac de re errorem aut ingerant, aut confirment, id nos præſtavimus diſſ. XXXV. Cap. II. §. V. ut Heterodoxi videant nihil apud nos nunc fieri, quod in primis Eccleſiæ ſæculis actum non ſit ad peccatorum veniam conſequendam, ideoque non novam eſſe doctrinam, quam impugnant noſtrorum temporum Sectarii; ſed antiquiſſimam:

3

Ignoſcitur itaque iis, qui ad peccatum ignoranter, imprudenter, incauteque labuntur: veniam non habet, qui ſciens peccat [a]. Nec tamen ſi aliquis fuerit purificatus ab omni labe peccati, temperandum ſibi ab ope-

a *Veniam non habet, qui ſciens peccat.* Hoc etiam ex ſuperioribus, aliiſque infra perpendendis, declarandum eſt: ſcilicet, ut bene notat Iſæus; ſi peccans pœnitentiam non agat, profitendo peccata ſua, & affirmando ſe amplius non peccaturum, veniam conſequi non poterit; quemadmodum illam conſequuntur, quos peccaſſe pœnitet, & ſe non amplius peccaturos decernunt.

b *Quæ deleat.* Bon. *quæ debeat*: Aldus addit *redimere*.

opere largitionis exiſtimet, quia non habeat peccata, quæ deleat [b].

4

Imo vero tum magis juſtitiam debet operari, quum factus eſt juſtus: ut quod ante in medelam vulnerum [a] fecerat, poſtmodum faciat in laudem gloriamque virtutis.

a *In medelam vulnerum*. S. Cyprian. Lib. ſæpe laudato de *Opere, & Eleemoſyna*; operationem pietatis, medelam vulneris appellat.

5

Eo accedit, quod nemo eſſe ſine delicto poteſt [a], quandiu indumento carnis oneratus eſt. Cujus infirmitas triplici modo ſubjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus. Per hos gradus ad ſummum culmen juſtitia procedit.

a *Nemo eſſe ſine delicto poteſt*: Siquidem *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: ut ait S.Joann. *Epiſt. I. Cap.* 1: ℣. 8.

6

Primus eſt virtutis gradus, malis operibus

ribus abſtinere [a]: ſecundus, etiam malis verbis: tertius etiam cogitatione rerum malarum.

a *Primus eſt virtutis gradus: malis operibus abſtinere*: Peragendæ pœnitentiæ optimum initium: ceſſare ab operibus malis: eſt enim hujuſcæ virtutis primus gradus, quatenus bonum fieri ab eo neceſſe eſt, qui præcepta adimplet, quorum omiſſio peccatum eſſet.

7

Qui primum gradum aſcendit [a], ſatis juſtus eſt: qui ſecundum, jam perfectæ vir-

a *Primum gradum aſcenderit*, (Al. aſcendit) *ſatis juſtus eſt*. Scilicet *eſt quodammodo juſtus*, ut explicat Rittershuſius ad Salvian. Epiſt.I. ubi ait: *ſatis juſtus, accipi debet is: qui mediocritatem quandam juſtitiæ jam eſt aſſecutus, nondum tamen perfectionem*: Iſæus notaverat: *Non ille ſatis juſtus eſt ſi ab operibus malis abſtinens, male tamen aut loquatur, aut cogitet, id quod ipſe Lactantius confitetur, & docet C.XXIII., & Lib.VII. Cap.XXVII. ubi ait; Deum judicaturum eſſe etiam pravas cogitationes*; quod ideo dixit, quia Tò *ſatis eſt* nihil aliud ſignificare poſſe putavit, quam id, quod ſignificat *ſufficit*. Quod falſum eſſe oſtendit Bunemannus pluribus heic adductis ex Cicerone exemplis, quorum illud Catonis dictum L.II.*Offic.* C.XXV. aptiſſimum eſt ad locum hunc noſtrum declarandum: quum enim ab eo quæretur: *quid maxime in re familiari expedi-*

virtutis [b], ſi quidem, neque factis, neque ſermone delinquat: qui tertium, is vero ſimilitudinem Dei aſſecutus videtur [c].

Eſt

pediret? reſpondit: bene paſcere: quid ſecundum? ſatis bene paſcere, quid tertium? male paſcere. Ubi, ut vides, oratio deſcendit a bene paſcere ad mediocriter, a mediocriter ad male; quod aliqui ad hoſpites referre ſolent, ut ab hoſpitibus citius diſcedere, urbane moneantur.

b *Qui ſecundum; jam perfectæ virtutis*: Intellige in hominum exiſtimatione, quibus cor non patet: Deo enim, cui nil abſconditum eſt, de omni verbo otioſo *homines rationem reddent in die judicii*: ut habetur Matth. XII. ℣. 36. Ibi Patres, ac interpretes plerique omnes pro *verbo otioſo* intelligunt, *verbum malum, inutile, ſcurrile, turpe*: &c. ita ut ſecundum Burgenſ., ac Maldon. ſenſus ſit a minori ad majus: Si malos, mendaceſque ſermones damnaturus eſt in judicio Deus: calumniis ne, aut impiis ſermonibus parcet?

c *Is vero ſimilitudinem Dei aſſecutus videtur*: Hinc Apoſtolus ad Philippenſ. ait Cap. III. ℣. 20. *Noſtra autem converſatio in cælis eſt: Mente enim in cælo verſantur, Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, in cujus imaginem transformamur a claritate in claritatem*: Chriſti Domini virtutes, quantum creaturæ fas eſt, imitantes, de qua transformatione videndi ſunt Myſticæ Theologiæ Doctores, cujus arcana heic tetigiſſe videtur Lactantius, triplicem nempe viam illam indicans incipientium, proficiſcentium, ac perfectorum per virtutes, quas vocant politicas, purgativas, ac purgari animi.

8

Eſt enim pene ſupra humanum modum, ne in cogitatione quidem [a] admittere, quod ſit vel factu malum, vel improbum dictu.

a *Ne in cogitatione quidem* Al. *nec* Al. *in cogitationem*.

9

Itaque etiam juſti homines, qui frenare ſe poſſunt ab omni opere injuſto, nonnunquam tamen ipſa fragilitate vincuntur, ut vel in ira malum dicant [a], vel in aſpectu rerum delectabilium, cogitatione tacita concupiſcant.

a *Vel in ira malum dicant*. Bon. *in iram*.

10

Quod ſi mortalis conditio non patitur eſſe hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri.

11

Unum eſt enim ſapientis, & juſti, & vita-

vitalis viri [a] opus, divitias ſuas in ſola juſtitia collocare, qua profecto qui eget, licet ille Crœſum [b], aut Craſſum [c] divitiis ſuperet, hic pauper, hic nudus, hic mendicus putandus eſt.

---

a *Unum eſt enim ſapientis, & juſti & vitalis viri* Al. *unum eſt igitur*: Tò *vitalis*, idem eſt, ac *diu victurus*, ut notant interpretes ad Horat. ſatis VII.L.II.

. . . . *Ita davus amicum*:
Mancipium Domino, & frugi, quod ſit. Satis: hoc eſt:
Ut utile putes.

Et ad Senec. L.V. *Epiſt.XXXIX. Magni animi magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. Illa enim utilia, vitaliaque ſunt*: Vide Turneb. *Adverſ. XVIII.* Cap XXVII. Walchio tamen heic vox ſuſpecta.

b *Licet ille Crœſum*: Is Lydorum rex fuit Halyattis filius, in lucem editus anno III. Olymp.XLVI. ſecundum Petavium *in Paralipom. de Doctrin. temp.* Græcos, partim tributis impoſitis ſubegit, partim ſocios, & amicos præmiis aſcivit; tantumque imperio, & opibus crevit, ut ſe feliciſſimum dicere non dubitaret. Attamen debellatus a Cyro, quum pyræ cremandus adhuc vivus imponeretur, magnis vocibus exclamavit; *Ô Solon.* Admiratus Cyrus, miſit qui rogaret, quiſnam hominum, aut Deorum is eſſet, quem imploraret? cujus rei quum rationem rediddiſſet Crœſus, non ſolum dimiſſus eſt liber, ſed poſtmodum ſummo in honore etiam habitus ab eodem Cyro eſt. Bon. *Crœſſum*.

c *Aut Craſſum*. Scilicet Marcum Craſſum Romano-

norum ditiſſimum, qui cum Pompejo, & Cæſare Triumviratum iniit, & quum ei Syria ſorte obveniſſet, profectus ad bellum Parthicum, amiſſo filio, ipſe, quoque rem infeliciter gerens, a Surina regis præfecto captus, atque interfectus eſt.

12

Danda igitur opera, ut indumento juſtitiæ, pietatiſque velemur, quo nos exuat nemo, quod nobis ſempiternum præbeat ornatum [a].

a *Præbeat ornatum*. Al. *præbet*.

13

Nam ſi Deorum cultores [a] ſimulachra inſenſibilia excolunt [b], & quicquid pretioſi habent, in ea conferunt, quibus nec uti poſſunt, nec gratias agere, qui acceperint [c]: quanto juſtius eſt, & verius, viventia Dei ſimulacra excolere [d], ut promereare viventem [e]? Quæ

a *Nam ſi deorum cultores*. Bon. ultima voce caret.
b *Excolunt* Al. *exoſculant*. Al. *exculunt*.
c *Quum acceperint*. Al. *quod acceperint*.
d *Ut promereare viventem*. Al. *videre viventem*. Al. *invenire viventem*. Aldus legit nobiſcum.
e *Simulacra exolere*. Betulejus: heic extra caſtra pro-

proſiliens: *ejuſdem*, inquit, *vanitatis eſt*, *Mariæ*, *vel alterius alicujus Sancti ſimulacrum velle veſtire*. Nudum ergo exponendum?

14

Quæ ſicuti uſui habent quicquid acceperint, & gratias agunt: ita Deus [a], in cujus conſpectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exolvet.

a *Ita Deus*. Bon. *ita Dominus*.

CAP. XIV.

1

SI ergo in homine [a] præclarum, & excellens eſt bonum miſericordia, idque divinis teſtimoniis, & bonorum, malorumque conſenſu optimum [b] judicatur: apparet, philoſophos longe abfuiſſe ab humano bono [c], qui neque præceperunt ejuſmodi quicquam, neque fecerunt: ſed virtutem [d], quæ in homine propemodum ſingularis eſt, pro vitio ſemper habuerunt.

a *Si ergo in homine*. Bon. *in hominem*.
b *Optimum*. Heum. hanc vocem abeſſe mallet.
c *Ab humano bono*. Heum. *ab hoc magno bono*.
d *Sed hanc virtutem*. Bon. ſecunda caret voce.

2

Libet hic interponere unum de Philoſophia [a] locum, ut illorum plenius coarguamus errores, qui miſericordiam, cupiditatem, metum, morbos animi appellant.

---

a *Unum de Philoſophia*; De pro *ex*, quod ſæpe in Lactantio ocurrit, & præcipue poſt Tò *unum* Latinorum plurimi idem facere jamdiu obſervarunt Grammatici. V.g. *unus de Populo De nobis unus* &c.

3

Conantur illi quidem virtutes a vitiis diſtinguere [a]: quod eſt ſane facillimum. Quis enim non poſſit liberalem a prodigo ſeparare (ut illi faciunt) aut parcum a ſordido [b], aut quietum ab inerti [c], aut cautum a ti-

---

a *Diſtinguere*. Al. *disjungere*.

b *Aut parcum a ſordido*. Al. *purum a ſordido*. Prave; Nam heic *ſordidus* idem, ac *avarus* valet; ut ex Ciceronis L. XIII. Epiſt. XXXVI. ad Acil. Proc. *Quumque propter quoſdam ſordidos homines, qui Cæſaris beneficia vendebant*.

c *Aut quietum ab inerti* Betulejus: *videtur*, inquit, *pro manſueto, quietum dixiſſe: pro ſtolido inertem*; ſed *fallitur* repoſuit Bunem. *quietus* heic eſt *neutrius partis ſtudioſus*; *Iners* vero eſt *timidus*, *imbellis*, *ſegnis*, *ignarus*.

a timido [d] ? quod hæc quæ ſunt bona, fines ſuos habeant: quos ſi exceſſerint, in vitia labuntur, ita & conſtantia, niſi pro veritate ſuſcepta ſit, fit impudentia [e].

---

d *Aut cautum a timido*. Timiditas eſt defectus fortitudinis, cujus exceſſus eſt temeritas, aut audacia inconſulta, & imprudens.

e *Fit impudentia*: Al. *ſit impudentia*: Al. *niſi pro veritate ſuſcepta, ſit impudentia*: Cellar. bis repetit Τὸ *ſit*. Nobiſcum legunt meliores.

4

Item fortitudo, ſi nulla neceſſitate cogente, aut non pro cauſſa honeſta, certum periculum ſubierit, in temeritatem convertitur. Libertas quoque [a], ſi alios inſectetur, potius, quam inſectantibus reſiſtat, contumacia eſt. Severitas etiam, niſi ſe intra congruentes nocentium pœnas coerceat, fit ſæva crudelitas.

---

a *Libertas quoque*: Valerius Max. L. VI. Cap. II. de ea agens ait: *Quæ inter virtutem vitiumque poſita, ſi ſalubri modo ſe temperaverit, laudem: ſi, quo non debuit, profuderit, reprehenſionem mereretur*. Eſt enim modus in cenſendo, ac loquendo de aliis, cui per exceſſum opponitur *contumacia*, quæ ſecundum Grævium eſt: *ſtudium contradicendi*. Prave ergo aliqui legunt; *liberalitas*, ut bene notavit Bunemannus.

5

Itaque dicunt, eos, qui mali videantur, non ſua ſponte peccare, nec mala potius eligere: ſed bonorum ſpecie lapſos [a], incidere in mala, dum bonorum, ac malorum diſcrimen ignorant [b].

a *Sed bonorum ſpecie*: Bon. *ſed bonum ... in malis*.
b *Diſcrimen ignorant*. Bon. *diſcrimentum*. Heum. *ignorent*.

6

Hæc quidem falſa non ſunt [a], ſed ad corpus cuncta referuntur. Nam parcum eſſe aut conſtantem, aut cautum, aut quietum, aut fortem, aut ſeverum, virtutes ſunt quidem, ſed hujus temporariæ vitæ. Nos autem, qui hanc vitam contemnimus, alias nobis virtutes propoſitas habemus, de quibus philoſophi ne ſuſpicari quidem ulla ratione potuerunt.

a *Falſa non ſunt*. Bon. *fagilia non ſunt*.

7

Itaque & virtutes quaſdam pro vitiis, & vitia quædam pro virtutibus habuerunt. Nam

Nam Stoici [a] affectus omnes, quorum impulſu animus commovetur, ex homine tollunt, cupiditatem, lætitiam, metum, mœſtitiam, quorum duo priora ex bonis ſunt, aut futuris, aut præſentibus; poſteriora ex malis.

a *Nam Stoici*: Vide Cicer. L. III. *Tuſc. quæſt.*, & Lib. IV., ubi de his fuſe diſputat; quemadmodum Seneca Epiſt. LXXXV.

8

Eodem modo hæc quatuor, morbos (ut dixi) vocant, non tam natura inſitos, quam prava opinione [a] ſuſceptos. Et iccirco eos cenſent extirpari poſſe radicitus, ſi bonorum, malorumque opinio falſa tollatur.

a *Quam prava opinione*: Al. *quod*. Al. *parva*. Al. *opinatione*.

9

Si enim nihil cenſeat ſapiens bonum, nihil malum, nec cupiditate ardeſcet, nec lætitia geſtiet [a], nec metu terrebitur [b], nec ægritudine contrahetur.

a *Geſtiet*. Bon. *geſtit*.
b *Nec metu terrebitur*. Bon. *terretur*:

10

Mox videbimus [a], an efficiant [b], quod velint, aut quid efficiant; interim propoſitum arrogans [c], ac pene furioſum, qui ſe puret mederi, & eniti poſſe contra vim, rationemque naturæ.

a *Mox videbimus*. Scilicet infra Cap. ſequenti.
b *An efficiant*: Al. *an ante efficiunt*.
c *Arrogans* &c. Heum. ait; vel adjece, vel ſubſubandi; *eſt*.

C A P. X V.

1

HAec enim naturalia eſſe, non voluntaria, omnium viventium ratio demonſtrat, quæ iiſdem omnibus quatitur affectibus [a].

a *Quatitur affectibus*; Heum. mallet *quatiuntur*; ſed male; nam ratio eſt, quæ affectibus quatitur. Cicero Lib. III. *Tuſc.* ait: *ægritudine quaſi tempeſtate quati*.

2

Peripatetici [a] ergo rectius, qui hæc om-

a *Peripatetici*: Heic Schottus Capiti XV. facit initium: Vide Ciceronem ubi ſupra, & præcipue *Lib. IV.* quæſt. Tuſc. *Cap. XIX.*

omnia detrahi negant poſſe, quia nobiſcum ſimul nata ſint, & conantur oſtendere, quam providenter, & quam neceſſario Deus, ſive natura [b] (ſic enim dicunt) his nos armarit affectibus: quos tamen, quia vitioſi plerumque fiunt [c], ſi nimii ſint, poſſe ab homine, adhibito modo, ſalubriter temperari, ut tantum homini, quantum naturæ ſatis eſt, relinquantur.

b *Quam neceſſario Deus, ſive Natura* &c. Bon. *dominus ſive* &c. Al. *neceſſarie*.

c *Plerumque fiunt*: Al. *plerumque ſunt*. Al. *plenumque*. Aldus nobiſcum legit.

3

Non inſipiens diſputatio, ſi (ut dixi) non ad hanc vitam omnia referrentur. Stoici ergo furioſi, qui ea non temperant, ſed abſcindunt, rebuſque a natura inſitis [a] caſtrare hominem quodammodo volunt. Quod tale eſt, quale ſi velint aut metum detrahere cervis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus [b]. Nam quæ ſingula mutis animalibus data ſunt, ea vero univerſa homini ſimul. Quod

a *A natura inſitis*. Al. ſcribunt ſine præpoſitione, quod eſt elegantius.

b *Placiditatem pecudibus*. Kresbius, & Walchius dubitant, Aureæne, an Argenteæ latinitatis ſcriptores hanc vocem habeant; At Varro debuiſſet dubium omne diluere, quum L. II. de R. R. C.I. n.4. dixerit: *Putant oves adſumptas, & propter utilitatem, & propter placiditatem*. Ut bene heic Bunem. annotavit.

4

Quod ſi, ut medici affirmant [a], lætitiæ affectus in ſplene eſt, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde: facilius eſt interficere [b] animal ipſum, quam ex corpore aliquid evellere, quod eſt animantis naturam velle mutare.

a *Ut medici affirmant* Al. *dicunt* Vide quæ annotavimus ad Caput xiv. *de Opif. Dei*: ſeg.4.

b *Facilius eſt hominem interficere*. Immo neceſſarium, ſi omni eum affectuum naturalium motu privare velis.

5

Sed homines prudentes [a] non intelligunt

a *Sed homines prudentes*. Sic per Ironiam Stoicos appellat; utpote qui prudentia cæteris Philoſophis præire, cenſebantur.

gunt quum vitia ex homine tollunt [b] ,etiam ſe virtutem tollere , cui ſoli locum faciunt. Nam ſi virtus eſt [c] , in medio iræ impetu ſeipſum cohibere [d] , ac reprimere , quod negare non poſſunt : caret ergo virtute , quiſquis ira caret. Si virtus eſt , libidinem corporis continere , virtute careat , neceſſe eſt, qui libidinem, quam temperet , non habet.

---

b *Nam ſi virtus eſt* &c. Gallæus heic notat . *Hæc ſequentia caute ſunt intelligenda ; Non abſolute enim vera eſſe hæc patet in Sanctis glorificatis* . Sed vanus eſt Gallæi timor ; nam Sanctorum Animæ, quum glorioſa corpora reaſſument , illa ſibi tam perfecte ſubjicient , quemadmodum ipſæ Deo perfecte ſubjiciuntur ; Ideoque non indigent virtutibus ad actus eliciendos , ſed eorum habitibus utantur ad ornatum. In hac mortali vita tamen,quia eo dominio caremus,virtutibus frenandi ſunt appetitus , ne rationis modum excedant, & de his Lactantius loquitur, ut quiſque de ſe videt , & nos jam alibi notavimus .

c *Quum vitia ex homine tollunt* . Pro vitiis heic intellige affectus ad vitia proclives ex depravatione naturæ .

d *Se ipſum cohibere* . Bon. *ſenſu cohibere* .

6

Si virtus eſt , cupiditatem ab alieni appetitione frenare [a] , nullam certe virtutem po-

poteſt habere, qui caret eo, ad quod cohibendum, virtutis uſus adhibetur.

a *Ab alieni appetitione frenare*: Bon. caret præpoſitione.

7

Ubi ergo vitia [a] non ſunt, nec virtuti quidem locus eſt: ſicut nec victoriæ quidem, ubi adverſarius nullus eſt. Ita fit, ut bonum ſine malo [b] eſſe in hac vita non poſſit.

a *Ubi ergo vitia*: I. E. ut ſupra: naturæ vitiatæ defectus.

b *Bonum ſine malo* &c. Hinc aperte Lactantius oſtendit, quid ſibi velit, quum ſimilia profert,

8

Affectus igitur, quaſi ubertas eſt naturalis animorum. Nam ſicut in ſentes ager, qui eſt, natura fœcundus, exuberat [a]: ſic ani-

a *In ſentes ager, qui eſt, natura fœcundus, exuberat*: Verbum Exubero, ut bene notat Walchius, gaudet caſu auferendi; quamvis, tranſitive uſurpatum, cum accuſativo conſtruatur a Colum. Lib. IX. Cap. V. ſeg. 5. *de Re Ruſtica*; ait enim: *Herbæ . . . . . quæ favorum ceras exuberant*: Ubi Schottus legi notat: H. E.

Ut,

animus incultus vitiis,ſua ſponte invaleſcentibus [b], velut ſpinis obducitur. Sed quum verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur.

Vt, in indice exponit Sylburgius, Vberes reddunt. Tertullian. *de Pallio Cap. II. Scythæ*, inquit, *exuberant Perſas* I. E. *tamquam ex ubere produxerunt*. Salmas; ibidem: Atnoſter hocce verbum abſolute uſurpat pro *redundare*, ac præpoſitioni committit, eique jungit caſum accuſandi; ſicuti quum Cicero *pro Murena* elegantiſſime dixit: *In eum annum, qui conſequitur, redundarint*.

b *Sua ſponte invaleſcentibus*; Nam etiam ſine arte, aut ſtudio, vitia adoleſcunt: quamvis nemo primum ad graviora feratur.

9

Deus itaque, quum hominem primum fingeret, mirabili providentia ingeneravit ei prius iſtas animi commotiones, ut poſſet capere virtutem, ſicut terra culturam, poſuitque materiam vitiorum in affectibus, virtutis in vitiis [a]. Quæ profecto aut nulla erit, aut in uſu eſſe non poterit, ſi deſint ea, per quæ vis ejus aut apparet, aut conſtat.

Vi-

---

a *Poſuitque materiam vitiorum in affectibus: virtutis*

tutis in vitiis. Affectus heic idem ſunt, ac paſſiones appetitus tam ſenſitivi, quam rationabilis, quæ in ſtatu naturæ lapſæ ſunt materia circa quam virtutes, & vitia verſantur; Ideoque & vitia aliquando dicuntur, quia in vitia potius, quam ad virtutes inclinant. Confer. *Epitom.* Cap.LXI. ſeg.3.

10

Videamus nunc, iidem illi, qui vitia penitus abſcidunt,[a] quid effecerint. Quatuor illos affectus, quos ex opinione bonorum, malorumque, naſci putant, quibus evulſis, ſanandum eſſe animum ſapientis exiſtimant, quoniam intelligunt & natura inſitos eſſe, & ſine his nihil agi poſſe, alia quædam in eorum locum, vicemque ſupponunt.

a *Qui vitia penitus abſcindunt*. Al. *excidunt*. Tò *vitia* heic cauſaliter ſumuntur, pro paſſionibus, ut ſuperius diximus, vitiatæ naturæ, quatenus ad vitia tendunt, & oppoſitis virtutibus neceſſe eſt, eas frenare, ne ſecum voluntatem abripiant.

11

Pro cupiditate ſubſtituunt voluntatem, quaſi vero non multo ſit præſtabilius, bonum capere, quam velle[a]. Item pro lætitia gaudium,

a *Bonum capere, quam velle*. Betulejus, Sparkius, Wal-

dium, pro metu cautionem. At in illo quarto immutandi nominis ejus, ratio deficit [b]. Itaque ægritudinem penitus, id eſt, meſtitiam, doloremque animi ſuſtulerunt: quod fieri nequaquam poteſt.

Walchius, Heum., Bunem., & Langletius ſic legunt, Antiquiores vero non ita, ſed *quam malum velle*; quod ſtare omnino non poteſt;ſiquidem voluntas numquam vult malum ſub ratione mali. Dicitur autem præſtabilius eſſe bonum capere, quam velle, quia qui aliquid cupit, non ita facile retrahitur a difficultatibus ſuperandis pro adeptione boni concupiti, quemadmodum ille retrahi ſolet, qui ſimpliciter vult, ut videbimus infra ad Caput XVII. Seg.2. nota (a)

b *Ratio deficit*. Al. *defecit*. Al. *ejus ratio*. Loquitur de mæſtitia, de qua Cap. ſuperiori ſeg.7.

12

Quis enim poſſit non dolere, ſi patriam, aut peſtilentia exhauſerit, aut hoſtis everterit, aut tyrannus oppreſſerit? Poteſt aliquis non dolere [a], ſi ſublatam viderit libertatem, ſi proximos, ſi amicos, ſi bonos viros [b] aut exterminatos aut crudeliſſime trucidatos? niſi cujus mens ita obſtupuerit, ut ſit ei ſenſus omnis ereptus? Qua-

---

a *Poteſt aliquis non dolere* &c. Id eſt, *Poteſt ne aliquis?*

b *Si bonos viros*. Bon. *ſi bonos vicinos*.

Quare aut omnia tollere debuerunt, aut implenda [a] fuerat curta hæc, & debilis diſputatio: id eſt, etiam pro ægritudine aliquid reponendum, quoniam ſuperioribus ita ordinatis, hoc conſequens erat. Ut enim præſentibus lætamur bonis, ſic malis angimur, ac dolemus.

a *Implenda, ... debilis diſputatio*. Bon. *impleta*. Bunem. collatis quibuſdam Lactantii, ac Ciceronis locis, exponit; I. E. *manca*, *mutila* &c.

14

Si ergo [a] lætitiæ, quoniam vitioſam putabant, nomen aliud [b] indiderunt, ſic ægritudini, quoniam & ipſam vitioſam putabant, aliud vocabulum tribui congruebat. Unde apparet, non illis rem defuiſſe, ſed verbum. Cujus indigentia eum totum affectum, qui eſt vel maximus, contra [c] quam natura pateretur, auferre voluerunt.

a *Si ergo*. Heum. *ſicut ergo*.
b *Nomen aliud*. Al. *nomen illud*.
c *Contra quam*: Al. *contra quem*; Male: nam valet: *contra ac*: *ut bene notavit* Bun.

15

Nam illas nominum commutationes poteram coarguere pluribus, & oſtendere, aut ſer-

ſermonis ornandi, augendæque copiæ gratia, multa nomina iiſdem rebus impoſita, aut nihil, aut certe non multum inter ſe illa diſtare. Nam & cupiditas a voluntate incipit, & cautio a metu oritur, & lætitia nihil aliud eſt, quam profeſſum gaudium [a].

---

a *Quam profeſſum gaudium*. Sic recte, ut notavimus ad Lib. IV. Cap. XXII. ſeg. 3. Iſæus, & Al. *profuſum*.

16

Sed putemus, ut ipſi volunt, eſſe diverſa. Nempe igitur cupiditatem eſſe dicent, perſeverantem, ac perpetuam voluntatem: lætitiam vero, inſolenter ſe efferens [a] gaudium: metum autem, nimiam [b], & excedentem modum, cautionem. Ita fit, ut, quæ tollenda eſſe cenſent, non tollant, ſed temperent, ſiquidem nomina tantummodo immutant, res ipſæ manent.

---

a *Inſolenter ſe efferens*. I. E. modo non communi, & inuſitato. Al. *offerens*. Al. *effundens*.
b *Nimiam*. Bon. *animam*.

17

Eo igitur imprudentes revolvuntur, quo Peripatetici ratione perveniunt, ut vitia, quo-

quoniam tolli non poſſunt, media temperanda ſint [a]. Errant ergo, quia non efficiunt, quod volunt, & longo, aſperoque circuitu in eandem viam redeunt.

---

a *Media temperanda ſint*: Inter hæc verba puncta quædam in noſtro Cod. ſunt interpoſita. Iſæus legit: *moderanda ſint*. Al. *mediæ*. Al. *medenda*. Al. *medie*. Fortaſſe legendum: *medenda virtute temperanda, ac regenda ſint*.

CAP. XVI.

1

AT ego ne Peripateticos quidem acceſſiſſe ad veritatem puto, quia vitia eſſe concedunt [a], ſed ea mediocriter temperant [b]. Carendum eſt enim vitiis etiam mediocribus.

---

a *Vitia eſſe concedunt*. Nempe diverſo ſenſu ab eo, quo accipiuntur cap. ſuperiori.

b *Mediocriter temperant*. Heum. *mediocritate*.

2

Quin potius efficiendum fuit, primum, ne vitia eſſent [a] (nec enim quicquam vitioſum

---

a *Ne vitia eſſent*. Heic *vitia* non pro cauſſa; ſed pro

ſum naſci poteſt [b], ſed vitia fieri, ſi male utamur affectibus: ſi bene, virtutes.)

---

pro effectibus ſumuntur. Nam, ut ſupra docuit, in hac mortali vita, atque in ſtatu naturæ lapſæ vitiorum carere ſeminibus in noſtra non eſt poteſtate; ſed quando integra erat natura, germinare vix potuiſſent.

b *Nec enim quicquam vitioſum naſci poteſt* &c. Optime explicat quod hactenus docuerat Lactantius, & fruſtra nos monet Betulejus, caute hæc eſſe legenda, quum habeatur ex David, ſe in iniquitatibus conceptum eſſe; id enim vitiatum hominem exprimit, non vitioſum. Illud naturæ vitium commune ſignificat; hoc autem Perſonæ pravos, peculiareſque habitus acquiſitos importat. Illud naſcendo ex depravato ſemine natura contrahimus; hos prave vivendo voluntate aſſumimus. Unde egregie noſter proſequitur: *Sed vitia fieri*; Intellige *habitus vitioſos*; *ſi male utamur affectibus*: Nam ſi iiſdem juſta injiciantur frena, & rectæ rationis regimen imponatur, uſu, & frequentia actuum potius habitus virtuoſi conſurgunt, ac ex eadem materia emergunt, ut capite ſuperiori dicebamus.

3

Deinde monſtrandum eſt, non ipſos affectus, ſed eorum cauſſas [a] eſſe moderandas. *Non eſt* [b], inquiunt, *lætitia nimia geſtiendum*,

---

a *Sed eorum cauſſas:* Hinc corporis caſtigatio tantopere commendatur ab iis, qui dirigunt pedes noſtros in viam pacis.

b Non est, *inquiunt*; Nempe Peripatetici.

dum, ſed modice, ac temperate [c]. Hoc vero tale eſt, quale, ſi dicerent, non eſſe currendum concitate, ſed gradiendum quiete. At poteſt & qui graditur, errare: & qui currit, rectam viam tenere.

c SED MODERATE, AC TEMPERATE: Addendum erat: *in re*, ac de re honeſta, & congruo tempore.

4

Quid ſi oſtendo [a], eſſe aliquid, ubi non tantum modicum, ſed vel punctum gaudere, vitioſum ſit [b], & aliud contra, in quo vel exultare lætitia, minime vitioſum? Quid tandem nobis iſta mediocritas proderit?

a *Quid ſi oſtendo*: Al. *oſtendero*. Aldus legit nobiſſcum.

b *Punctum gaudere vitioſum ſit*. Sic etiam Schottus. PUNCTUM heic idem valet, ac *minimum*. Al. pro *vitioſum* legunt *criminoſum*. Caſuiſtæ *parvitatem materiæ* appellant.

5

Quæro utrumne ſapienti lætandum, putent, ſi quid inimico ſuo mali videant accidere, aut utrumne lætitiam frenare debeant, ſi victis hoſtibus, aut oppreſſo tyranno, libertas, & ſalus [a] civibus parta ſit? Ne-

a *Libertas, & ſalus civibus parta ſit*. Hæc lætitiæ cauſſa honeſta; non nuda victoria hoſtium, aut oppreſſio tyranni.

6

Nemo dubitat, quin & in illo, exiguum lætari [a], & in hoc, parum lætari, ſit maximum crimen. Eadem de cæteris affectibus dicere licet.

---

a *Quin & in illo exiguum lætari* &c. Merito miratur Bunemannus, Heum. heic dixiſſe; *Loquitur juxta opinionem Gentilium Philoſophorum* &c. Quum Lactantius non ſolum ſupra, ſed in iiſdem verbis, in quibus dicitur juxta Ethnicorum ſententiam eſſe locutus, manifeſte catholicam doctrinam propugnet, aſſeratque, maximum crimen eſſe vel minimum lætari, ſi quid inimico mali videamus accidiſſe; quemadmodum ſi de communi Patriæ bono parum lætemur, quum exacto Tyranno, ac inimicis expulſis, libertate donamur, propter quod commune bonum conſequendum, vitam etiam cives debent diſcrimini exponere, ſi neceſſitas urgeat.

7

Sed (ut dixi) non in his moderandis ſapientiæ ratio verſatur, ſed in cauſſis eorum, quoniam extrinſecus commoventur, nec ipſis potiſſimum frenos imponi oportuit; quoniam exigui poſſunt eſſe in maximo crimine, & maximi poſſunt eſſe ſine crimine [a]. Sed aſſi-

---

a *Quoniam exigui poſſunt eſſe .... eſſe ſine crimine*. Al. *& exigui*. Al. Tò *eſſe* facundum delent.

aſſignandi fuerunt cæteris temporibus, & rebus[b], & locis, ne vitia ſint, quibus uti recte licet.

b *Et rebus*: Al. non habent.

8

Sicut enim recte ambulare bonum eſt, errare autem malum: ſic moveri affectibus in rectum[a], bonum eſt, in pravum, malum.

a *Moveri affectibus in rectum* &c. Ideo virtutibus moderandi, & vel frenandi, ſi excedant, vel *excitandi* ſi jaceant, vel *ſtimulandi* ſi torpeant, quum opus eſt.

9

Nam ſi libido extra legitimum torum non evagetur, licet ſit vehemens[a], tamen cul-

a *Licet ſit vehemens*: Bunem. aliter ſenſiſſe putat Auguſtinum & Hieronymum; quia primus Lib. *de bono conjugali Cap.VI. ait: Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiſcentiæ vero ſatiandæ; ſed tamen cum conjuge propter fidem tori, venialem, habet culpam*. Hieronymus vero, quia laudat *ſententiam Sexti Pythagorici aſſerentis; Adulterum eſſe etiam, qui uxoris ſuæ amator ſit ardentior;* Sed

culpa caret. Si vero appetit alienum, licet ſit mediocris, vitium tamen maximum eſt.

Sed quicquid ſit de ſenſu, & veritate harum propoſitionum; non tamen aliquo pacto pugnant cum Lactantii noſtri ſententia. Aliud enim eſt vehementi libidinis æſtu cum uxore copulari, aliud eſt, id fieri ad explendam unice concupiſcentiam; nam primum non habet rationem finis; ſed ad finem matrimonii ordinari poteſt; quod non accidit in ſecundo, quum id ipſum rationem finis ultimi habeat; & iccirco illud culpa caret, ut inquit Lactantius; iſtud vero peccatum involvere videtur, ut laudati doctores docent. Vide S. Thom. III. Par. quæſt. LXXII. A. III. ad V.

10

Non eſt itaque morbus iraſci, nec cupere, nec libidine commoveri: ſed iracundum eſſe, morbus eſt, cupidum, libidinoſum [a]. Qui enim iracundus eſt, etiam cui non debet, aut cui non oportet [b], iraſcitur. Qui cupidus, etiam quod non opus eſt, concupiſcit. Qui libidinoſus, etiam quod legibus vetatur affectat.

---

a *Cupidum, libidinoſum*. Al. addunt *eſſe*, quod melius, & elegantius abeſt.

b *Cui non oportet*: Al. cum Schotto; *quum non oportet*.

§ 11 §

Omnis igitur ratio in eo verſari debuit, ut quoniam earum rerum impetus inhiberi non poteſt, nec debet [a], quia neceſſario eſt inſitus ad tuenda officia vitæ, dirigeretur potius in viam rectam, ubi etiam curſus offenſione, ac periculo careat.

a *Nec poteſt, nec debet.* Al. *non poteſt, nec debet.*

CAP. XVII.

§ 1 §

SEd evectus ſum coarguendi ſtudio longius, quum ſit mihi propoſitum, ea, quæ vitia philoſophi putaverunt, oſtendere [a], non tantum vitia non eſſe, verum etiam magnas eſſe virtutes. Ex his [b] docendi gratia, ſumam, quæ pertinere ad rem maxime puto.

a *Ea, quæ vitia Philoſophi putaverunt oſtendere.* Bon. *oſtendere ea, quæ vitia philoſophi putaverunt.*

b *Ex his:* Al. *ex aliis:* Al. *ex illis* Schottus: *ex his, & alia.*

§ 2 §

Metum, ſeu timorem [a] in maximo vitio

a *Metum, ſeu timorem.* Ariſtotelis ſententia eſt Lib. III. *Moralium.*

tio ponunt, ſummamque imbecillitatem eſſe animi putant, cui ſit contraria fortitudo, quæ ſi ſit in homine, locum timori eſſe nullum.

3

Credit ne ergo [a] aliquis fieri poſſe, ut idem metus ſumma ſit fortitudo? Minime. Neque enim videtur capere natura, ut aliquid in contrarium recidat.

a *Credit ne ergo*. Aldus etiam ſic legit. Al. *credit ergo ne*.

4

Atqui ego non arguta aliqua concluſione, ut apud Platonem Socrates facit [a], qui eos, quos contra diſputat, cogit, ea, quæ ne-

a *Ut apud Platonem Socrates facit*: Walchius heic notat; Socratem nihil edidiſſe, *quod contra Leonem Allatium obſervandum eſt*; *Sed traditiones ejus apud Platonem, & Xenophontem ſunt expoſitæ*. At ſi Walchius attente Allatii diſſertationem *de ſcriptis Socratis* legiſſet, cognoſcere poterat, quod omnes, qui cum Cicerone, Plutarcho, Dione, Chriſoſtomo, & Origene concedunt, Socratem nihil ſcriptis tradidiſſe, id volunt de ſcriptis Philoſophicis, non autem de aliis diſciplinis; Nam eodem Cicerone teſte Lib.IV. Tuſcul.

negaverant, confiteri: ſed ſimpliciter oſtendam, ſummum metum [b], ſummam eſſe virtutem.

cul. ait: *Quum Oreſtem fabulam doceret Euripides, primos tres verſus revocaſſe, dicitur Socrates*: Adde Laer. Lib. II. Segm. 28. 55. 61. 62. Stanl. Part. III. Cap. XVIII. &c. apud quos non ſolum carmina; ſed & dialogos Socratem ſcripſiſſe, videbis.

b *Summum metum*: Scilicet ſummi numinis timorem; quem *reverentialem* Theologi appellant, aut *filialem*: timor enim Domini initium ſapientiæ eſt, & cuſtos virtutum.

5

Nemo dubitat, quin timidi, & imbecilli ſit animi, aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem. Quæ omnia quiſquis non exhorruerit [a], fortiſſimus judicatur. Qui autem Deum metuit [b], illa univerſa non metuit. Ad

a *Quæ omnia quiſquis non exhorruerit*: Cum quarto caſu verbum *horreo* ſæpe Lactantius jungit, quod nequaquam inobſervatum eſt in Lexicis, ut putavit Bunemannus, nam apud Nizolium: edit: Ven. 1551. id notatum reperies, ne & alios commemorem ex Virgil. Ovid. Silio & Ital.

b *Qui autem Deum metuit*: Betulejus heic: *Timor*, ait, *quo timendus eſt Deus, aliud eſt nihil, quam amor*

amor is, quo filii boni parentes proſequi ſolent. Is quia eſt cum timore aliquo permixtus, reverentia Latinis, ſive etiam veneratio dicitur. In primis tamen contra Abailardum adverte hujuſmodi timorem duplicem habere actum: ſcilicet, *timere ſeparationem a Deo: & ipſum Deum revereri*: quorum primus numquam in Chriſto fuit, neque eſt in Beatis: Secundus vero & in Chriſto fuit, & in Beatis perſeverat. Secundo nota, ultra hunc timorem filialem, eſſe etiam timorem ſervilem ex metu æternæ pœnæ, aut amiſſione ſummi boni dimanantem, quem non eſſe ſupernaturalem, nec bonum, imo ad deſperationem ducere, hypocriſim eſſe, ac ſolummodo manum cohibere, aſſerere contra catholicam doctrinam auſi ſunt Donatiſtæ primum, contra quos egit Auguſtinus Epiſt. 50. *ad Bonifacium*, poſtmodum Pelagiani, quos idem S. Doctor confutavit Lib. I. *Oper. Imperf. Cap. XCV.* Proſtratos hujuſmodi errores ſuſcitarunt. Lutherus *Serm. II. de Pœn.*: *Calvinus L. III. Inſt. Cap. XVI.* §. 3. & *Cap. XVIII.* §. 2. Bajus, & Janſenius in hoc ab iis diſtare videntur, quod illi pœnitentiam damnant ex ſolo metu gehennæ conceptam: Iſti vero ſe damnare ſolummodo profeſſi ſunt hujuſmodi pœnitentes. Quas opiniones merito damnavit Eccleſia Catholica, utpote quæ opponuntur verbis Chriſti Domini Lucæ XII. a V. 4. *Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant. Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehænnam: ita dico vobis, hunc timete.* Si enim timor iſte ſervilis a Chriſto Domino inſinuatur amicis ſuis, quis audeat eum damnare in

pœ-

pœnitentibus, quibus ſapientiæ, ac ſalutis initium ab eo, ut plurimum ſolet exoriri? An vero ad Pœnitentiæ Sacramentum rite ſuſcipiendum ſufficiat dolor ab hoc timore ſervili dimanans, diſputant Theologi noſtri, inter quos aliqui requirunt dolorem importantem amorem amicitiæ, ſaltem initialem, alii vero ſufficere propugnant dolorem importantem amorem concupiſcentiæ, excludentemque voluntatem peccandi. Utriuſque ſententiæ momenta luculenter expendit noſter Liberius a Jeſu in libro cui titulus: *Fœdus amoris, & timoris Dei in Miniſterio Sacramentalis reconciliationis hominis ad Deum*; *Romæ* 1713. & nuper Mediolani tom. IV. ex poſthumis 1748. Eum tamen diſponere ad juſtificationem in Concilio Tridentino definitum eſt. Seſſ. XIV. Cap. IV.

6

Ad quod probandum argumentis opus non eſt: ſpectatæ ſunt enim, ſpectanturque adhuc [a] per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova, & inuſitata tormenta excogitata ſunt.

Nam

a *Spectatæ ſunt enim, ſpectanturque adhuc*: Al. *ſpectatæ ſunt enim, ſemperque ſpectantur adhuc*; quam lectionem exhibet Schottus. Al. *ſemper ſpectanturque adhuc* Bon. *ſemper expectantur quae*: Hinc collige Lactantium adhuc durante decennali Diocletianæa perſecutione hæc ſcripſiſſe, ut ſæpe monuimus.

7

Nam de mortis generibus horret animus recordari, quum immanium beſtiarum [a] ultra ipſam mortem [b] carnificina ſævierit. Has tamen execrabiles corporum lacerationes felix, atque invicta patientia [c] ſine ullo gemitu pertulit.

---

a *Immanium Beſtiarum*: Sic Tyrannos ſæpe appellat, præcipue in lib. de M.P.

b *Ultra ipſam mortem*: Quas poſt Martyrum mortem contumelias eorundem cadaveribus Perſecutores irrogaverint, in eodem lib. de M.P. viſuri ſumus.

c *Felix, atque invicta patientia*. Vide cap. ſequenti: Bon. pro *patientia* habet *ſapientia*.

8

Hæc virtus omnibus populis, atque provinciis, & ipſis tortoribus miraculum maximum præbuit, quum patientia crudelitas vinceretur. Atqui hanc virtutem nihil aliud, quam metus Dei fecit [a].

Ita-

---

a *Atqui hanc virtutem nihil aliud, quam metus Dei fecit*. Bon. *Aquin.* Aldus. *Atquin* Al. *Atque*. Notant heic Sectarii, intelligendum eſſe de timore filiali, ac reverentiali, utpote qui in ea verſantur hæreſi, de qua ſuperius locuti ſumus.

9

Itaque (ut dicebam) non evellendus, ut Stoici: neque temperandus timor, ut Peripatetici volunt, ſed in veram viam dirigendus eſt, auferendique ſunt metus; ſed ita, ut is ſolus relinquatur [a], qui quoniam legitimus, ac verus eſt, ſolus efficit, ut poſſint cætera omnia non timeri.

---

a *Auferendique ſunt metus; ſed ita, ut hic ſolus relinquatur* &c. Nota heic, quod de omni utili ad virtutem metu ſermo eſt,& iſte dicitur relinquendus, quoniam eſt legitimus, reſpiciens ad Lucæ locum, quem ſupra laudavimus. Obſerva etiam verbum *relinquor* heic uſurpatum pro *ſervor*, ſeu *ſuperſum*.

10

Cupiditas quoque inter vitia numeratur. Sed ſi hæc, quæ terrena ſunt, concupiſcat, vitium eſt: virtus autem, ſi cæleſtia. Qui enim juſtitiam, qui Deum, qui vitam perpetuam, qui lucem ſempiternam, eaque omnia, quæ Deus homini pollicetur, conſequi cupit, opes iſtas, & honores, & potentatus [a], & regna ipſa contemnet.

Di-

---

a *Et potentatus.* Vocabulum hocce rarum quidem; ſed

ſed latinum eſt, Cæſari, & Livio uſitatum, ut bene notavit Cellarius, Buneman. id deſcendere docet a verbo lexicis ignoto, etſi minus eleganti: nempe *potentari*, quod reperitur in antiquiſſima Irenæi verſione. Lib.IX.Cap.XLIV. *ſuperquam potentatus ſum. Neque potentatus es*. Heumannus ablegat ad tractatum Bergeri *de Naturali ſtyli pulcritudine*: En quod Cap. XV. ſeg. 10. diximus de diſcrimine inter voluntatem, & cupiditatem, quod innuit Ovidius Lib.III. *de Ponto Epiſt. I. V.* 35.

Velle parum eſt; cupias, ut re potiaris, oportet,
Et faciat ſomnos hæc tibi cura breves.

11

Dicet fortaſſe Stoicus, voluntate opus eſſe ad hæc conſequenda, non cupiditate. Imo vero parum eſt velle [a]. Multi enim volunt, ſed quum dolor viſceribus acceſſerit, voluntas cedit, cupiditas perſeverat. Quæ ſi efficit, ut contemptui ſint omnia, quæ a cæteris appetuntur, ſumma virtus eſt, ſiquidem continentiæ mater eſt.

a *Parum eſt velle*. Al. *Parcum eſſe velle*.

12

Ideoque illud potius efficere debemus, ut

ut affectus, quibus prave uti, vitium eſt, dirigamus in rectum [a].

---

a *Dirigamus in rectum*. Subintellige *finem*. Bon. *derigamus*.

13

Nam iſtæ concitationes animorum [a] juncto currui ſimiles ſunt, in quo recte moderando ſummum rectoris officium eſt, ut viam noverit: quam ſi tenebit, licet quam concitate ierit, non offendet. Si autem aberraverit, licet placide, ac leniter eas, aut per confragoſa vexabitur [b], aut per præcipitia labetur, aut certe, quo non eſt opus, deferetur. Si

---

a *Nam iſtæ concitationes animorum*: Bon. *cogitationes*. Iſæus *fortaſſe*, inquit, *alludit ad currum, de quo Plato in Phædro*. At etſi in curru ſimilitudo quædam reperiri poſſit; in cæteris tamen longe diſtat.

b *Per confragoſa vexabitur*: Supra Cap. VII. *per Confragoſa quædam præcipitia trahit*: Eodem ſenſu, Nam *vexari* heic idem valet, ac *vehi trahi*: juxta Gell. Lib. II. Cap. VI. *Vexaſſe grave verbum eſt, factumque ab eo videtur, quod eſt* vehere, *in quo ineſt jam vis quædam alieni arbitrii. Non enim ſui potens eſt, qui vehitur. Qui fertur, & raptatur, atque huc, & illuc diſtrahitur, is vexari proprie dicitur*. Unde non audiendus Heum. qui heic ait: *non dubito reſcribere: vectabitur*. Vide Bunem. plura heic ſcite adducentem.

14

Sic currus ille vitæ [a], qui affectibus, velut equis pernicibus, ducitur, ſi viam rectam teneat, fungetur officio. Metus igitur & cupiditas, ſi projiciantur in terram, vitia fient: virtutes autem, ſi ad divina referantur.

---

a *Sic currus ille vitæ*. Al. *ſicut currus*. Al. *ſic curſus*.

15

Parſimoniam contra virtutis loco habent [a]: quæ ſi ſtudium eſt habendi, non poteſt eſſe virtus, quia in augendis, vel tuendis terreſtribus bonis tota verſatur. Nos autem ſummum bonum non referimus ad corpus, ſed omne officium ſolius animæ conſervatione metimur.

---

a *Parſimoniam contra virtutis loco habent*. Betulejus in commentarii ſui ad hocce caput proœmio: *Deinde*, inquit, *fragilitatem vitioſam eſſe docet*. Sed hinc animum adverte de qua fragilitate Lactantius infra ſit locuturus.

16

Quod ſi (ut ſupra docui [a]) patrimonio

minime parcendum eſt, ut humanitatem, juſtitiamque teneamus, non eſt virtus, frugi eſſe: quod nomen virtutis ſpecie fallit, ac decipit.

a *Vt ſupra docui*. Nempe Cap. XII. ſeg. 32.

17

Eſt enim frugalitas [a] abſtinentia quidem voluptatum, ſed eo vitium [b], quia ex habendi amore [c] deſcendit, quum ſit & voluptatibus abſtinendum, & pecunia temperandum. Nam parce, id eſt mediocriter uti pecunia [d], quaſi quædam puſillitas animi eſt, aut prætimen-

a *Eſt enim frugalitas*. Bon. *fragilitas*.

b *Sed eo vitium*. Al. *ideo*. Sed utrumque idem valet. Schottus habet *ideo*.

c *Habendi amore*: Phraſis eſt vigiliana, ut vidimus ſupra L. V. Cap. V. Bunem. addit Boetium L. II. de Conſ. Metr. V. a verſ. 25.

. . . . *Sed ſævior ignibus ætnæ*.
Fervens amor ardet habendi.

d *Nam parce, id eſt mediocriter uti pecunia* Bon. Aldus & aliqui alii *parcere* pro *parce*: Verbum pro adverbio.

e *Aut prætimentis* Al. *pertimentis* quam Lectionem tuetur Heum. heic & ad Cicer. *Orat. II. in Catilin.* Cap. I., & Cellar. ex Plaut. *in Amphitr.* At loca ſuſpecta ſunt, nec Bunem. certiora adduxit ex Senec., & Tertulliano; ubique enim variant lectiones Bon. *pretimentis*.

mentis [e], ne ſibi deſit, aut deſperantis [f], poſſe ſe illam reparare, aut contemptum terreſtrium non capientis.

---

f *Deſperantis poſſe ſe illam reparare.* Bon. *ſperantis poſſe illa ſeparare.*

18

Sed illi rurſus [a], eum, qui rei familiari ſuæ non parcat, prodigum vocant. Nam ita liberalem diſtinguunt a prodigo, quod is liberalis ſit, qui & benemeritis [b], & quum oportet, & quantum ſatis eſt, largiatur: prodigus vero, qui & non meritis, & quum opus non eſt, & ſine reſpectu rei familiaris effundat.

---

a *Sed illi rurſus*. Schottus. *ſed illi prorſus*.
b *Qui & benemeritis*. Al. *qui cibum & benemeritis*. Aldus nobiſcum legit.

19

Quid ergo? Prodigum ne dicemus eum, qui miſericordiæ cauſſa tribuat egentibus victum? Atqui multum refert, utrumne ſcortis propter libidinem largiare, an miſeris propter humanitatem: utrum pecuniam

tuam perductores, aleatores [a], lenoneſque diripiant, an illam pietati, ac Deo præſtes: utrumne illam ventri, ac gulæ ingeras, an in theſauro juſtitiæ reponas.

---

a *Perductores*, *aleatores*, &c. Al. *productores*: Male; nam *perductor* ſecundum Aſconium Pedianum ad Cicer. Verr.III. ille eſt, qui invitas perſonas adducunt, & exponunt, in hoc a leonibus diverſi, quod ſceleſti Lenones faciunt ſine vi id, quod ab perductoribus fit non ſolum vi, ſed minis, & promiſſis, & omni quo poſſunt artificio, vel injuria.

20

Ut ergo vitium eſt, effundere in malam partem, ſic in bonam, virtus. Si virtus eſt, non parcere opibus, quæ poſſunt reparari [a], ut hominis vitam [b] ſuſtentes, quæ reparari non poteſt: vitium igitur parſimonia eſt [c].

---

a *Quæ poſſunt reparari*: ut ſupra ſeg.17. Al. *reperiri*.

b *Ut hominis vitam*. Bon. *homines*. Al. *hominibus*.

c *Vitium igitur parſimonia eſt*. Bon. *uticu*... Al. *utique*.

21

Quare nihil aliud dixerim, quam inſanos

ſanos, qui hominem mite, ac ſociale [a] animal orbant ſuo nomine, qui evulſis affectibus, quibus omnis conſtat humanitas, ad immobilem ſtuporem mentis perducere volunt, dum ſtudent animum perturbationibus liberare [b], & (ut ipſi dicunt) quietum, tranquillumque reddere.

---

a *Hominem mite, ac ſociale*, Bon. *mitem*.
b *Perturbationibus liberare*. Al. a *perturbationibus*.

22

Quod fieri non tantum non poteſt, quia vis, & ratio ejus in motu eſt [a], ſed ne oportet quidem: quia ſicut aqua ſemper jacens & quieta, inſalubris, & magis turbida [b] eſt: ſic animus immotus, ac torpens, inutilis eſt etiam ſibi, nec vitam ipſam tueri poterit, quia nec faciet quicquam, nec cogitabit, quum cogitatio ipſa nihil aliud ſit, quam mentis agitatio.

---

a *Quia vis, & ratio ejus in motu eſt*: Mens enim, & animus quietem neſciunt, ut cum noſtro vidimus *de Opif. de Cap.*XVIII.*ſeg.*4.Al. *& ratio ejus non motio eſt*. Al. *commotio eſt*.
b *Magis turbida*. Al. *turbata*.

23

Denique qui hanc immobilitatem animi [a] aſſerunt, privare animum vita volunt, quia vita actuoſa eſt, mors quieta.

---

a *Immobilitatem animi*. Bon. *immobilem animi*. Al. *immutabilitatem*.

24

Quædam etiam recte pro virtutibus habent, ſed earum modum non tenent. Virtus eſt conſtantia, non ut inferentibus injuriam reſiſtamus (his enim cedendum eſt [a], quod cur fieri debeat, mox docebo) ſed ut jubentibus facere nos contra Dei legem, contraque juſtitiam, nullis minis, aut ſuppliciis terreamur, quo minus Dei juſſionem hominis [b] juſſioni præferamus.

Item

---

a *His enim cedendum eſt*. Non quia ſui tutelam, cum moderamine habitam, damnet, tamquam vitioſam, ut perperam putavit Barbeyracius: ſed ob aliam cauſſam, de qua mox rationem reddit. Al. pro *cedendum*, legunt peſſime: *credendum*.

b *Dei juſſionem hominis juſſioni præferamus*, Bon. *Dei juſſioni hominis præferamus*. Al. *Dei juſſionem hominis præferamus*.

25

Item virtus eſt, mortem contemnere, non ut appetamus, eamque ultro nobis inferamus, ſicut Philoſophorum plurimi, & maximi ſæpe fecerunt, quod eſt ſceleratum, ac nefarium: ſed ut coacti Deum relinquere, ac fidem prodere [b], mortem ſuſcipere malimus, libertatemque defendamus adverſus impotentiam ſtultam, vecordemque violentiam, & omnes ſæculi [c] minas, atque terrores fortitudine animi provocemus.

---

a *Sicut Philoſophorum plurimi*: Vide Lib.III Cap.XVIII. ſeg.5. 12. &c.
b *Fidem prodere*. Al. *fidem perdere*.
c *Et omnes ſæculi*. Iſæus. *ut omnes &c.*

26

Sic ea, quæ alii timent, excelſa, & inſuperabili mente, dolorem, mortemque calcamus [a]. Hæc eſt virtus, hæc vera eſt conſtantia, in hoc tuenda, & conſervanda ſolo, ut nullus nos terror [b], nulla vis a Deo poſſit avertere.

N 4 Vera

---

a *Calcamus*. Bon. *calcavimus*. Aldus *calcabimus*.
b *Ut nullus nos terror*. Bon. *ut nullos noſter terror*. Vide Cap.XVI. *de M.P.*

27

Vera igitur Ciceronis illa ſententia [a] eſt: *Nemo*, inquit, *juſtus poteſt eſſe, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet*. Item Senecæ [b] in libris moralis philoſophiæ dicentis:

---

a *Ciceronis illa ſententia*. Nempe ex Lib. II. de Officiis Cap. XI. Al. VIII.

b *Item Senecæ*: In depertitis.

28

Hic eſt ille homo honeſtus, non apice, purpurave, non lictorum inſignis miniſterio, ſed nulla re minor: qui quum mortem in vicinia videt, non ſic perturbatur, tanquam rem novam viderit, qui ſive toto corpore tormenta patienda ſunt, ſive flamma ore rapienda [a] *eſt, ſive extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, ſed quam bene*. Qui

---

a *Flamma ore rapienda*. Sic etiam Aldus. Al. *recipienda*. Schottus *eripienda*. Noſtra lectio optima, & de liquatis, atque ardentibus aquis, & metallis, quibus viſcera damnatorum implebantur a carnificibus intelligenda. Nuper in Martyris anonymi effoſſo corpore vidimus deglutiti plubi reliquias.

29

Qui autem Deum colit, hæc patitur, nec timet. Ergo juſtus [a]. His rebus efficitur, ut neque virtutes, neque virtutum exactiſſimos limites noſſe, aut tenere poſſit omnino, quiſquis eſt a religione Dei ſingularis alienus.

---

a *Ergo juſtus*. Al. addunt: *eſt*, quod a pleriſque omittitur.

C A P. XVIII.

1

SEd omittamus Philoſophos, qui aut omnino nihil ſciunt [a], idque ipſum pro ſumma ſcientia præferunt [b]: aut qui non perſpiciunt etiam quæ ſciunt: aut qui, quoniam ſe putant ſcire, quæ neſciunt, inepte, arroganterque deſipiunt.

Nos

---

a *Qui aut omnino nihil ſciunt*. Sic omnes habent, quos vidi; ſolus Bon. legit: *qui nihil omnino ſciunt*.

b *Scientia præferunt*, *aut qui non perſpiciunt*. Al. *præſeferunt*. Al. *proferunt*. Al. Aldus. *non percipiunt*.

2

Nos ergo (ut ad propoſitum revertamur) quibus ſolis a Deo veritas revelata, & cælitus miſſa ſapientia eſt, faciamus, quæ jubet illuminator noſter Deus: ſuſtineamus [a] invicem, & labores hujus vitæ mutuis adjumentis perferamus, nec tamen, ſi quid boni operis fecerimus, gloriam captemus ex eo.

a *Suſtineamus invicem* &c. Secundum Apoſtoli monitum ad Galat. Cap.VI. ℣.2.

3

Monet enim Deus [a], operatorem juſtitiæ non oportere eſſe jactantem, ne non tam mandatis cæleſtibus obſequendi, quam ſtudio placendi, humanitatis officio functus eſſe videatur, habeatque jam pretium gloriæ [b], quod captavit, nec præmium cæleſtis illius, ac divinæ mercedis accipiat.

a *Monet enim Deus.*Scil.Matth.VI.℣.I.Prov.XXVIII.
b *Habeatque jam pretium gloriæ.* Al. Tò *pretium omittunt.* Bon. eam vocem ſemper cum diphtongo ſcribit.

4

Cætera, quæ obſervare cultor Dei debet,

bet, facilia ſunt, illis virtutibus comprehenſis, ut non mentiatur unquam [a], decipiendi, aut nocendi cauſſa.

---

a *Ut non mentiatur unquam*: Particula *ut* in noſtro Cod. omiſſa eſt, & forte non eſt neceſſaria.

5

Eſt enim nefas, eum, qui veritati ſtudeat, in aliqua re eſſe fallacem, atque ab ipſa, quam ſequitur, veritate diſcedere. In hac juſtitiæ, virtutumque omnium via, nullus mendacio locus eſt.

6

Itaque viator ille verus, ac juſtus non dicet illud Lucilianum [a]:

Homini amico, ac familiari non eſt
mentiri meum:

ſed etiam inimico, atque ignoto exiſtimabit, non eſſe mentiri ſuum: nec aliquando committet, ut lingua interpres animi, a ſenſu & cogitatione diſcordet.

---

a *Illud Lucilianum*. In fragmentis.

7

Pecuniæ, ſi quam crediderit, non acci-

cipiat uſuram [a] : ut & beneficium ſit incolumè , quòd ſuccurrat neceſſitati , & abſtineat ſe prorſus alieno .

a *Pecuniam ſi quam crediderit , non accipiat uſuram* . Scilicet ſi aliquam pecuniam crediderit alicui , pro ea non accipiat uſuram.Sic Aldus Al. *pecuniæ.* Al. *ſi qua* . Al. *ſi qui* quamvis Bun. vellet *ſi cui* Ad L.I. cap.XV. diximus , quam longe a veritate abjerit Walchius Lactantii locum adducens pro uſura juſta , & ſapienti . Heic tamen , ubi mens Authoris noſtri clariſſima eſt , quum afferat , injuſtum eſſe , eum qui plus accipit , quam dederit , nos ad locum eumdem remittit . Galliæus autem Barbeyracius , & alii eterodoxi,erroris notam Lactantio inurunt pro hac ſententia , quam quum etiam hiſce noſtris temporibus acriter agitatam inter Catholicos videamus operæ pretium duxi de ea in Diſſ.xxvii.Cap.iv. §.xv. mentionem facere , eamque , quæ certa eſt hac de re Eccleſiæ doctrinam , propugnare , prætermiſſis inutilibus quæſtionibus, & cavillis quorumdam cauſiſtarum , aut ſcriptorum , qui non ſatis accurate hanc materiam pertractarunt .

8

In hoc enim genere officii debet ſuo eſſe contentus , quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat , plus autem accipere , quàm dederit , injuſtum eſt . Quod qui facit , inſidiatur quodammodo , ut ex alterius neceſſitate prædetur [a] .

a *Prædetur.* Al. *perdatur* . Al. *prodetur* .

9

At juſtus nunquam prætermittet, quo minus aliquid miſericorditer [a] faciat, nec inquinabit ſe hujuſmodi quæſtu, ſed efficiet, ut ſine ullo ſuo damno id ipſum, quod commodat, inter bona opera numeretur [b].

---

a *Miſericorditer*: Vox Eccleſiaſtica videtur Walchio; At Falſterus *in ſuppl.* L.L. eam reperit in *Lib. XXI. Annal.* Quadrigarii antiquiſſimi hiſtorici, de quo mentionem faciunt Servius ad Virgil. Georg. Lib. 1. ℣. 109., & Macrobius L.I. cap. 4. 5. & 16. *Saturnul.* ejuſdem fragmenta, quæ ſuperſunt, edidit Auſonius Popma an. 1620 una cum aliorum hiſtoricorum fragmentis, quæ cum ſuis notis cunctis Waſſæi curis, prodierunt Cantabrigiæ an. 1720. 4., & ſine notis ſubiiciuntur Salluſtii operibus Amſtelod. editis an. 1661. & Venet. 1737. verba autem hujus Authoris pag. 50. Edit. Ven. hæc ſunt. *Crudeliter ille, nos miſericorditer, avariter ille, vos largiter*. Adde Sypontinum ad h.V.

b *Inter bona opera numerentur*. Schottus. f. *bona nomina*. Al. *nominatur*.

10

Munus non accipiat [a] a paupere, ut ſi quid

---

a *Non accipiat*. Al. *non accipiet*.

b *Qui colit Verbum bonum*. Scilicet *Verbum Divinum*,

quid ipſe præſtiterit, eo bonum ſit, quo fuerit gratuitum. Maledicenti bene dicto reſpondeat: nunquam ipſe maledicenti male dicto reſpondeat: nunquam ipſe maledicat, nec verbum malum procedat ex ore hominis, qui colit [b] Verbum bonum.

---

num, Dei unigenitum, Jeſum Chriſtum, de quo in Pſal. XXIV. ℣. I. *Eructavit cor meum Verbum bonum.*

11

Quin etiam caveat diligenter, ne quando inimicum ſua culpa faciat: & ſi quis extiterit tam protervus, qui bono, & juſto faciat injuriam, clementer, ac moderate ferat, & ultionem ſuam [a] non ſibi aſſumat, ſed judicio Dei reſervet [b].

---

a *Ultionem ſuam* &c. Reſpicit ad illa divina præcepta; *Mihi vindictam, & ego retribuam. Diligite inimicos veſtros; bene facite iis, qui oderunt vos* &c.

b *Sed judicio Dei reſervet.* Bon. *ſed judici Deo ſervet.*

12

Innocentiam ſemper, [a] & ubique cuſto-

---

a *Innocentiam ſemper, & ubique cuſtodiat.* Bon. *innocentiam ſuam operet ubique,*

ſtodiat, quod præceptum non ad hoc tantum valet, ut ipſe injuriam non inferat, ſed ut illatam ſibi non vindicet. Sedet enim [b] maximus, & æquiſſimus Judex, ſpeculator, ac teſtis omnium. Hunc homini preferat, hunc malit de cauſſa ſua pronuntiare, cujus ſententiam nemo effugere poteſt nec defentione cujuſquam, nec gratia.

b *Sedet enim* &c. Al. *Sed ei, qui maximus* &c.

13

Ita fit, ut homo juſtus contemptui ſit omnibus, & quia putabitur, ſemetipſum defendere non poſſe, habebitur pro ſegni, & inerti [a]. Qui autem fuerit ultus inimicum, hic fortis, hic ſtrenuus judicatur, hunc colunt, hunc omnes verentur.

a *Pro ſegni, & inerti*; Ariſtotel. *Lib. IV. Moral.*, *Non ulciſci injuriam, ignavi hominis, ac ſervilis animi eſſe*, aſſeverat.

14

Bonus vero ille tametſi prodeſſe pluribus poſſit [a], illum tamen ſuſpiciunt [b], qui nocere, quam qui prodeſſe poſſit. Sed juſtum pravitas hominum depravare non poterit,

quo

quo minus Deo ſtudeat obtemperare, malitque contemni, dummodo ſemper boni fungatur officio, mali nunquam.

---

a *Prodeſſe pluribus poſſit*. Al. cum Iſæo; *prodeſſe omnibus, & pluribus* &c.
b *Illum tamen ſuſpiciunt*. Al. *ſuſcipiunt*, & Sic Bon.

15

Cicero in iiſdem illis Officialibus libris: *At vero ſi quis voluerit*, inquit, *animi ſui complitatam notionem evolvere, jam ſe ipſe doceat, eum virum bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit* b, *noceat nemini, niſi laceſſitus injuria* c.

---

a *Cicero in iiſdem illis Officialibus libris*. Bon., & Al. ultima carent voce. Verba heic laudata habentur Lib.I. Offic. Cap.VII. & Lib.III. cap III. Al.XIX.
b *Quibus poſſit*. Hæc in Bon Cod. deſiderantur.
c *Niſi laceſſitus ignuria*: Immo Lib.I. laudato ait; *Juſtitiæ primum munus eſt, ne quis noceat, niſi laceſſitus ignuria*.

16

O quam ſimplicem, veramque ſententiam duorum verborum adjectione corrupit! Quid enim opus fuerat, adjungere: *niſi laceſ-*

laceſſitus injuria ? ut vitium bono viro quaſi caudam turpiſſimam [a] apponeret, patientiæque, quæ omnium virtutum maxima eſt, faceret expertem ?

---

a *Quaſi caudam turpiſſimam*. Bon. *quaſi quædam turpiſſimum*. Al. *cauſam* Al. *quoddam turpiſſimum*. Vide ad Lib. *de Opif. Dei Cap.* VII. *ſeg.* 7. (a)

b *Patientiæque, quæ*: Bon omittit relativum, & copulam a ſubſtantivo diſpeſcit.

17

Nociturum eſſe dixit bonum virum, ſi fuerit laceſſitus, jam ex hoc ipſo [a] boni viri nomen amittat, neceſſe eſt, ſi nocebit.

---

a *Jam ex hoc ipſo*. Al. *imo ex hoc ipſo*.

18

Non minus enim mali eſt, referre injuriam, quam inferre. Nam unde certamina inter homines, unde pugnæ, contentioneſque naſcuntur, niſi quod improbitati oppoſita impatientia [a], magnas ſæpe concitat tempeſtates ?

---

a *Niſi quod improbitati oppoſita impatientia*. Bon. *inprobitati*. Al. *appoſita*. Al. *patientia*.

19

Quod ſi patientiam, qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri poteſt, improbitati oppoſueris, extinguetur protinus, tanquam [a] igni aquam ſuperfuderis. Sin autem provocatrix [b] illa improbitas impatientiam ſibi comparem nacta eſt, tanquam perfuſa oleo, tantum excitabit incendium, ut id non flumen aliquod, ſed effuſio cruoris extinguat.

---

a *Tamquam igni aquam* &c. Al. *tamquam ſi* &c. Noſtra lectio Ciceronianam dictionem refert, & altera eſt elegantior.

b *Provocatrix*. Bun. annotat; *vox Lactantiana*.

20

Magna itaque [a] patientiæ ratio eſt, quam ſapiens homo ademit bono viro. Ut enim nihil malorum fiat, hæc ſola efficit, quæ, ſi detur omnibus, nullum ſcelus, nulla fraus in rebus humanis erit.

---

a *Magna itaque*. Al. *Magna igitur*.

21

Quid ergo bono viro [a] poteſt eſſe tam

cala.

calamitoſum, tamque contrarium, quam iræ frena permittere, quæ illum non modo boni, ſed etiam hominis appellatione deſpoliet? Siquidem *nocere alteri*, ut ipſe veriſſime ait [b], *non eſt ſecundum hominis naturam*.

---

a *Quid ergo bono viro*. Bon. *Quid enim bonum viro*. Sic Aldus. Schottus. *quid igitur*.

b *Ut ipſe veriſſime ait*. Nempe Cicero Lib.III. *de Offic*. Cap.II. vide ſupra Cap.x1. ſeg.3.

22

Nam & pecudes, ſi laceſſas, aut calce, aut cornu repugnant: & ſerpentes, ac feræ, niſi perſequaris, ut occidas, negotium non exhibent: & (ut ad hominum exempla redeamus) imperiti quoque [a], & inſipientes, ſi quando accipiunt injuriam, cœco, & irrationabili furore ducuntur, & iis qui ſibi nocent [b], vicem retribuere conantur.

---

a *Imperiti quoque*. Al. *impediti*. Al. *quique*.

b *Et iis, qui ſibi nocent*. Bon. *& his*. Al *quæ ſibi*.

23

In quo igitur ſapiens, ac bonus vir a malis, & inſipientibus differt, niſi quod ha-

bet invictam patientiam, qua ſtulti carent [a]; niſi quod regere ſe, ac mitigare iram ſuam novit, quam illi, quia virtute indigent, refrenare non poſſunt?

a *Qua ſtulti carent*. Bon. *quam ſtulti carent*.

24

Sed videlicet hæc illum res fefellit, quia quum de virtute quæreretur, in quacunque contentione [a] vincere, putavit eſſe virtutis, nec videre ullo modo potuit, hominem dolori, & iræ ſuccubentem, & iis affectibus indulgentem, quibus debet potius reluctari, & ruentem quacunque improbitas provocarit [b], virtutis officium non tenere.

a *Quod quum de virtute loqueretur, in quacumque contentione* &c. Al. *quia quæreretur* &c. Bon. *intentione*. Legimus cum Aldo, aliiſque pluribus.
b *Et ruentem quacumque improbitas provocarit*. Al. *quacumque*. Al. *quamcumque in partem*.

25

Qui enim referre injuriam nititur, eum ipſum, a quo læſus eſt, geſtit imitari. Ita qui malum imitatur; bonus eſſe nullo pacto poteſt.

Duo-

26

Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono, & ſapienti viro, innocentiam, patientiamque detraxit. Sed quia ipſe *caninam illam facundiam* [a] (ſicut Salluſtius ab Appio dictum refert [b]) *exercuit*, voluit quoque hominem canino modo vivere, ut remordeat laceſſitus.

---

a *Caninam illam facundiam.* In fragmentis Salluſtianis hæc leguntur, nec ſcimus ex quo libro exciderint. Corſius, Waſſe, & alii dictum hoc in ſuis ad Salluſtium notis ad eos potiſſimum reſpicere dicunt, qui cauſſas in foro ardenter agitant, de quibus Prudentius *Hamart.* ℣.399.

Ambitio ventoſa tumet: doctrina ſuperbit.
Perſonat eloquium; nodos fraus addita nectit.
Inde canina foro latrat facundia toto.

Iis vero aptiſſime quadrant, qui omiſſis, quæ pro cauſſarum patrocinio erant promenda, ſeſe, veluti canes, dictis, factiſque lacerant. Vide Sidon. Lib. IV. Quæſt 3.

b *Sicut Salluſtius ab Appio dictum refert.* Quint. Lib. XII. Cap. IX. ipſum Appium hujus ſententiæ authorem facit, quamvis Nonius Lactantio præierit, quum eam apud Salluſtium ex Appio laudaverit in V. *Rabula*: Bon. *Oppio dicitur*.

27

Quæ retributio contumeliæ, quam perni-

niciosa ſit, & quas edere ſoleat ſtrages, unde opportunius petetur exemplum, quam ex ipſius præceptoris triſtiſſimo caſu [a], qui dum his Philoſophorum præceptis obtemperare geſtit, ipſe ſe perdidit?

a *Ex ipſius præceptoris triſtiſſimo caſu*. Nempe Ciceronis cæde.

28

Quod ſi laceſſitus injuria patientiam tenuiſſet, ſi diſſimulare, ſi ferre contumeliam boni viri eſſe didiciſſet, nec illas nobiles orationes alieno titulo inſcriptas [a] impatientia, & levitate, & inſania [b] profudiſſet: nunquam capite ſuo roſtra, in quibus ante floruerat, cruentaſſet [c], nec rempublicam funditus proſcriptio illa deleſſet.

Sa-

a *Nec illas nobiles orationes alieno titulo inſcriptas*. Al. *alicui titulo*, Male: reſpicit enim orationes, quas Cicero, Demoſthenem imitatus *Philippicas* inſcripſit, quamvis eſſent potius inſcribendæ In. M. Antonium.

b *Impatientia, levitate, & inſania*. Bon. *levitas*.

c *Numquam Capite ſuo roſtra, in quibus ante florebat, cruentaſſet*: Florus Lib. IV. Cap. VI. *Romæ Capita caſorum proponere in roſtris jam uſitatum erat: verum ſic quoque Civitas lacbrymas tenere non potuit, quum*

quum reciſum Ciceronis caput (a Popilio Centurione, quem in cauſſa Capitis olim ipſe defenderat) *in illis ſuis roſtris videretur, nec aliter ad videndum eum, quam ſolebat ad audiendum, concurreretur. Hæc ſcelera in Antonii, Lepidique tabulis.*

29

Sapientis ergo, ac boni viri non eſt certare, ac ſe periculo committere. Quoniam & vincere non eſt in noſtra poteſtate, & eſt anceps omne certamen [a]: ſed eſt ſapientis, atque optimi viri, non adverſarium velle tollere; quod fieri ſine ſcelere, ac periculo non poteſt: ſed certamen ipſum, quod fieri & utiliter, & juſte poteſt.

a *Et eſt anceps omne certamen.* Bon. copulam omittit. Al. *etiam anceps eſt* &c.

30

Summa igitur virtus habenda patientia eſt, quam ut caperet homo juſtus [a], voluit illum Deus (ut ſupra dictum eſt) pro inerte contemni. Niſi enim contumeliis fuerit

a *Quam, ut caperet homo juſtus:* Al. *qua ut non careret.*

affectus, quantum habeat fortitudinis in ſeipſo cohibendo, ignorabitur.

31

Si autem laceſſitus injuria, lædentem perſequi cœperit, *victus eſt* [a]. Si vero motum illum ratione compreſſerit, hic plane imperat ſibi, & hic regere ſe poteſt [b].

---

a *Victus eſt*. Bon *virtus eſt*. Al. *virtus nulla eſt*: Et hæc eſt Aldi lectio.

b *Hic plane imperat ſibi: hic regere ſe poteſt*. Al. *& hic regere poteſt* Cic. Lib. IV. Epiſt. famil. XIV. *Agiturque præclare, ſi noſmetipſos regere poſſumus*.

32

Quæ ſuſtentatio ſui, recte patientia nominatur: quæ una virtus omnibus eſt oppoſita vitiis [a], & affectibus. Hæc perturbatum, ac fluctuantem animum, ad tranquillitatem ſuam revocat: hæc mitigat, hæc hominem ſibi reddit.

---

a *Omnibus oppoſita vitiis*. Al. Tò *omnibus carent*.

33

Ergo quoniam naturæ repugnare impoſſibile eſt, & inutile, ut non commoveamur om-

omnino; prius tamen quam commotio illa proſiliat ad nocendum, quoad fieri poteſt [a] maturius ſopiatur. Præcepit Deus *non occidere ſolem ſuper* [b] *iram noſtram*, ne furoris noſtri teſtis abſcedat.

---

a *Quoad fieri poteſt*. Bon. & alii: *quod fieri poteſt*.
b *Non occidere ſolem ſuper* &c. *ad Epheſ.* Cap. IV. ℣. 26.

34

Denique M. Tullius [a] contra ſuum præceptum, de quo paullo ante dixi, oblivionem injuriarum in magnis laudibus poſuit. *Spero*, inquit, *Cæſar, qui obliviſci nihil ſoles, niſi injurias*.

---

a *M. Tullius*: Or. pro Ligairo Cap. XII.

35

Quod ſi hoc ille faciebat, homo non a cæleſti tantum [a], ſed a publica quoque, civilique juſtitia remotiſſimus: quanto magis id nos

---

a *Homo non a cæleſti tantum* &c. Vide iterum Lactantium Pompejanum quomodo in Cæſarem, ac in Antonium exardeat.

nos facere debemus, qui immortalitatis velut candidus ſumus [b].

b *Qui immortalitatis velut candidati ſumus*. Al. *velamine candidati*. Bon. *mortalitate candidati ſumus*. Al. *immortalitatis candidati*. Alludit ad Romanorum morem, qui alba toga procedebant, quum ad Magiſtratus officium deſtinabantur. Vel potius ad Chriſtianorum ritus, quo baptizandi, alba induebantur veſte, ut in carmine de Paſcha ℣.91. cecinit Venantius Honorius Fortun.

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.

Vide Auguſt. Epiſt.186. Ambr. cap.VII. de iis qui initiantur.

C A P. X I X.

I

STOicis, quum affectus [a] ex homine, tanquam morbos, conantur evellere, Peripatetici ſe opponunt: eoſque non modo retinent, ſed etiam defendunt: nihilque in homine eſſe dicunt, quod non magna ratione, ac providentia ſit innatum. Recte id quidem, ſi ſingularum rerum veros terminos ſcirent.

Ita-

a *Stoicis quum affectus*. Al. *Stoici*.

2

Itaque hanc ipſam iram, cotem dicunt eſſe virtutis [a], tanquam nemo poſſit adverſus hoſtes fortiter dimicare, niſi fuerit ira concitatus.

---

a *Cotem dicunt eſſe virtutis*. In Bon. Cod. Tò COTEM punctis quibuſdam, diſtinguitur, quaſi vox eſſet Librario amanuenſi ſuſpecta. Al. *fomitem*. Al. *comitem* legunt; ſed noſtra lectio retinent meliores, Cicero enim, quem Lactantius ubique reſpicit, Lib IV. *Acad. quæſt.* ait: *Iracundiam fortitudinis cotem eſſe dicebant*: Ea IV. *Tuſc.* de Peripateticis inquit: *Primum multis verbis iracundiam laudant, cotem fortitudinis dicunt*: per metaphoram a notiſſima ſilice, qua cultri acuuntur. Horat. *de Arte* v.306.

. . . . . Fungar vice votis, acutum.
Reddere, quæ valet ferrum exors ipſa ſecandi.

3

Quo plane oſtendunt, nec quid ſit virtus ſcire ſe, nec cur homini tribuerit iram Deus. Quæ ſi nobis ideo data eſt [a], ut ea utamur ad occidendos homines: quid immanius homine, quid ſimilius feris belluis exiſtimandum eſt, quam id animal, quod ad communionem, & innocentiam Deus fecit? Tres

---

a *Si nobis ideo data eſt*. Al. *ſi nobis a Deo data eſt*.

4

Tres ſunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. Propterea poëtæ tres furias eſſe dixerunt [a], quæ mentes hominum exagitent, ira ultionem deſiderat, cupiditas opes, libido voluptates.

Sed

a *Propterea Poetæ tres Furias eſſe dixerunt*. Scilicet Alecto, Megera, & Tiſiphones, quæ *Diræ* in Cælo, *Furiæ* in terris, *Eumenides* apud inferos dictæ ſunt: Cic. Lib. III. *de Nat. Deor. Si hæc Dea eſt, cur non Eumenides? Quæ ſi Deæ ſunt; quarum & Athenis ſanum eſt, apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinæ, Furiæ Deæ ſunt, ſpeculatrices, credo, & vindices facinorum, & ſceleris*. Acherontis, & Noctis filias eas dixit Servius, & Aeſchyl. ad æn.III. v.212 Hyginus vero eas Aethere, & Terra genitas tradit *in Præfat. ad Fabulas*. Criſpinus vero, ſive quicumque fuerit, qui Theogoniam in Fabulis expoſuit; inter natos ex Cælo, & Terra Furias poſuit, quas terram genuiſſe, ait, ex guttis quibuſdam ſanguinis in humum deciſis ex cæli reſectis genitalibus. Inter Orphei hymnos hic etiam legitur in verſione ad uſum Seminarii Patavini adornatam:

Audite Deæ, ubique honoratæ, valde rugientes, bene laborantes,
Tiſiphoneque, & Alecto, & diva Megera:
Nocturnæ, abditæ, ſub profunditatibus domos habentes,
Intro in obſcuro ad ſtygis ſacram aquam.

5

Sed his omnibus Deus certos limites ſtatuit [a]: quos ſi tranſcenderint, majoreſque eſſe cœperint, neceſſe eſt naturam ſuam depravent, & in morbos, ac vitia vertantur. Qui autem ſint iſti limites, non eſt magni laboris oſtendere.

---

a *Certos limites ſtatuit*. Bon. *inſtatuit*. Al. *inſtituit*.

6

Cupiditas ad ea comparanda nobis data eſt, quæ ſunt ad vitam neceſſaria: libido ad ſobolem propagandam [a], iræ affectus ad coërcenda peccata eorum, qui ſunt in noſtra poteſtate, id eſt, ut arctiore diſciplina, minor ætas ad probitatem, juſtitiamque formetur, quæ niſi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium, & facinus evadet.

---

a *Libido ad ſobolem propagandam*: Al. *procreandam*.

7

Itaque ut ira uti adverſum minores, & ju-

juſtum eſt, & neceſſarium: ſic & adverſum pares, & pernicioſum eſt, & impium. Impium, quod violatur humanitas: pernicioſum, quod illis repugnantibus, aut perdere neceſſe eſt, aut perire.

---

a *Itaque ut ira uti adverſum* &c. Bon. *Itaque uti adverſus* &c.

8

Hanc autem, quam dixi eſſe rationem, cur homini ſit iræ affectus datus, ex ipſius Dei præceptis intelligi poteſt, qui jubet, & lædentibus [a] non iraſcamur: manus autem noſtras ſupra minores ſemper habeamus, hoc eſt, ut peccantes eos aſſiduis verberibus corrigamus: ne amore inutili, & indulgentia

---

a *Inimicis, & lædentibus non iraſcamur.* Al. pro *inimicis* legunt *maledicis*. Al. *maledictis*. Aldus ex Cod. Longobard. *ut inimicis, maledictis.* Locus autem ad quem reſpicit, eſſe videtur Math. v. ℣. 12. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*: quæ dicta eſſe putat S. Jo: Chriſoſt., & Auth. *operis inperfecit* de Ira, & vindictæ deſiderio, quod intra animam latet; unde S. Auguſtinus in Pſal. IV. ℣. 5. *Si iræ motum ſentis, ne aſſentiare: animi enim tui tumultus, ſtatim ortus, ceſſat. Cave ne id opere exequaris, quod ira dictaverit*, & in Pſal. XXV. Enar. II. *Si*

tia nimia educentur ad malum [b], & ad vitia nutriantur.

Si propterea iraſceris ſervo tuo, quia peccavit; ne & ipſe pecces: Iraſcere tibi. Sive ad id quod dicitur ad Eph. IV. ℣. 26. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*

b *Ne amore inutili, & indulgentia nimia educentur ad malum.* Hinc Parentes, & magiſtri diſcant, quo ſint amore adoleſcentes diligendi ſecundum illud Apocal. III. ℣. 19. *Ego quos amo arguo, & caſtigo:* & Prover. XIII. ℣. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.*

9

Sed rerum imperiti, & rationis ignari, eos affectus, qui ſunt homini ad uſus bonos dati [a], exterminaverunt, & latius quam ratio poſtulat, evagantur.

a *Affectus, qui ſunt ad uſus bonos dati.* Al. *affectus ad uſus bonos datos.*

10

Inde injuſte atque impie vivitur. Utuntur ira contra pares: hinc diſſidia, expulſiones, hinc bella contra juſtitiam nata ſunt. Utuntur cupiditate ad congregandas opes [a]. Hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnia ſce-

a *Ad congregandas opes.* Al. *ad congerendas opes.*

ſcelerum genera orta ſunt. Utuntur libidine [b] ad capiendas tantum voluptates. Hinc ſtupra, hinc adulteria, hinc corruptelæ omnes extiterunt.

b *Utuntur libidine* &c. Hanc ſecundum vocem Bon. non habet.

11

Quicunque igitur illos affectus intra fines ſuos redegerit [a], quod ignorantes Deum facere non poſſunt, hic patiens, hic fortis, hic juſtus eſt.

a *Redegerit*. Bon. *redegit*.

CAP. XX.

1

REſtat, ut contra quinque ſenſuum voluptates [a] dicam breviter: nam & ipſius libri menſura jam modum flagitat [b]. Quæ omnes, quoniam vitioſæ, ac mortiferæ ſunt, virtute ſuperari, atque opprimi debent: vel (quod paullo ante dicebam de affectibus) ad rationem ſuam revocari.

Cæ-

a *Reſtat, ut contra quinque ſenſuum voluptates.* Al. *Con-*

Al. *Contra quinque ſenſuum corporis voluptates*. Bon. *Res ita, ut contra in quo ſenſu voluptates*.

b *Libri menſura jam modum flagitat*: Nota heic Lactantii noſtri in perſcribendis libris œconomiam, quam ſemper retinuit.

2

Cæteræ animantes præter unam voluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam ſentiunt [a]. Utuntur ergo ſenſibus ad naturæ ſuæ neceſſitatem. Vident ut appetant

a *Nullam ſentiunt*: Betulejus. *Hallucinatur*, inquit, *Lactantius nonnihil in rei naturalis cognitione. Nam in Officiis, atque etiam in Catone majore ex Ariſtotele, atque Gellio evidenti demonſtratione indicavimus, quod viſus, auditus, & Olfactus hominis ſint proprii; tactus, & guſtus cum belluis communes: quamquam interim exemplis evidentiſſimis oſtendere poſſem, animantium mutorum quædam etiam, ex olfactu voluptatem capere, atque adeo etiam, ſi neceſſe ſit, ex auditu, & viſu*. Rident quum hæc audiunt, qui bruta animalia automata putant, quibus cibus id præſtat, quod pondus horologiis, quamvis ii non negant in eis organa corporea ſenſus. Nos autem alia via Betuleji objecta diluemus, notando, aliud eſſe organa ſenſus habere ad uſus quoſdam determinata, aliud eſt ea ſic habere diſpoſita, ut unice ad oblectamentum inde percipiendum, eis, quum volumus, abutamur. Primum

ea, quibus opus eſt, ad vitam tuendam. Audiunt invicem, ſeque dignoſcunt, ut poſſint congregari. Quæ utilia ſunt ad victum, aut ex odore inveniunt, aut ex ſapore percipiunt: inutilia reſpuunt, aut recuſant. Edendi, ac bibendi [b] officium ventris plenitudine metiuntur.

Ho-

mum de animantibus brutis non negat Lactantius, ut patet ex ſubſequentibus. Secundum autem nec Gellius, nec Ariſtoteles, nec alius quiſpiam præter Betulejum aſſeruit de Brutis; Is quippe videtur non intelligere, Gellium loco citato agere de quibuſdam animantibus, quibus natura non quinque ſenſuum organa, ſed vel tria, vel duo dumtaxat impertita eſt. En ejus verba Lib. VII. Cap. VI. Quædam *animalium alia alio carent, & aut cæca a natura gignuntur, aut inodora, inauritave. Nullum autem gigni animal Ariſtoteles dicit, quod aut guſtus ſenſu careat, aut tactu.* Lactantius vero non de ſenſuum organis dicit, nullum eis ineſſe præter id, quod ad gerendum pertinet, ſed de voluptate, quæ per ſenſus percipitur; *Cæteræ Animantes præter unam voluptatem, quæ ad generandum pertinet: nullam ſentiunt.* Hinc judica Lector qui hallucinetur Lactantius ne, an Betulejus.

b *Recuſant. Edendi, ac bibendi* &c. ex Bunem. didicimus has inter voces lepide, & barbare Codicem Lipſienſem ſecundum, & Reimmannianum ſic legere; *Racuſant: Et multi homines, quos ipſe novi, edendi, ac bibendi Officium ventris pleni metiuntur.* Hinc noſce amanuenſium Librariorum ignorantiam, ac temeritatem.

3

Homini vero ſolertiſſimi artificis providentia dedit voluptatem infinitam [b], & in vitium cadentem [b]: quia propoſuit ei virtutem, quæ cum voluptate ſemper, tanquam cum domeſtico hoſte, pugnaret.

---

a *Homini vero ſolertiſſimi Artificis providentia dedit voluptatem infinitam*: Carteſius in fine ſui tractatus *de methodo rectæ agendæ rationis*, quæſtionem agitans de ſenſibus qui ſunt Brutis, hominibuſque communes, ad dubii reſolutionem, diſtinctionem præmittit, qua ad Lactantii mentem docet. Aliud eſſe agere, aliud edere actiones certas, & determinatas. Item aliud eſſe edere actiones indeterminatas, aliud eas edere opportune, & ſuo tempore, & pro libito; hoc enim humanæ voluntatis opus eſſe, demonſtrat, utpote quæ in *indefinitum*, non vero in *infinitum* actiones ſuas perſequitur: quod II. parte principiorum explicat *per actiones numero indefinitas*: Scilicet quæ ſe ulterius, & ulterius extendunt; ſed intra limites, ac proinde finito modo. Idem intellige, dixiſſe de voluptate Lactantium, quum eam dixit; *infinitam*: Scilicet non uno ſenſu, non una actione circumſcriptam: quemadmodum Cicero *infinitum* vocat Imperium *Verr.IV.* *infinitas* pecunias: *Orat. pro Roſcio Comædo*: Labor rerum forentium *infinitus*. Lib. I. *de Orat.* &c.

b *Et in vitium cadentem*. Hinc Prudentius Hamartig. a ℣. 364.

Omnia Luxus habet noſtræ vegetamina vitæ,

Sen-

Senſibus in quinque ſtatuens, quæ condidit Author,
Auribus, atque oculis, tum naribus, atque palato,
Quæritur infectus vitioſis artibus uſus.

§ 4 §

Cicero in Catone majore: *Stupra vero,* [a] *& adulteria, & omne flagitium* [b] *nullis excitari aliis illecebris* [c], *niſi voluptatis* [d]. *Quumque homini, ſive natura, ſive quis*

a *Stupra vero*: Al. addunt *inquit* propter quod Heum. putavit hæc Ciceronis verba fuiſſe olim margini inſcripta; nec Lactantii eſſe; orationem iis omiſſis melius cohærere, relictis iis impeditiorem eſſe: Nec putat Lactantium fuiſſe ſcripturum. *Cicero ſtupra, inquit, excitari* &c. Sed potius; *Cicero ſtupra inquit excitantur*; Immo non Ciceroni trituturum fuiſſe hæc verba; ſed cujus ſunt Archytæ Tarentino; Levia tamen ſunt iſta, ut contra Ms. Codicum fidem cum Heumanno ſentire poſſimus. Sic enim habent Codices Ciceronis L. c. cap. XII.

b *Et omne flagitium*. Aldus; *omnia flagitia*. Schottus *omne tale*.

c *Nullis excitari aliis illecebris*: Aliqui Cicer. Ms. Codices ita legunt; Quamvis edit: *omne tale flagitium nullis aliis illecebris*.

d *Niſi voluptatis*. Bon. *voluptati*. In editis Cicer. *voluptate*.

quis Deus, nihil mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri, ac dono [e] *nihil tam inimicum, quam voluptatem.*

e *Muneri, ac dono.* Bon. hac poſtrema voce caret.

5

Nec enim libidine dominante, temperantiæ locum eſſe, neque in voluptatis regno [a] *virtutem poſſe conſiſtere*: ſed e contrario Deus iccirco virtutem dedit, ut expugnaret, ac vinceret voluptatem: eamque egredientem finem ſibi datum, intra præſcriptum [b] coarceret, ne hominem ſuavitatibus delinitum, atque captum, ditioni ſuæ ſubjiceret, ac ſempiterna morte mulctaret.

a *Temperantiæ locum eſſe, neque in voluptatis Regno.* Al. *locum eſſe omnino*: Al. *nec omnino* &c.

b *Egredientem finem ſibi datum, intra præſcriptum* &c. Al. *fines ſibi datos.* Al. *infra.*

6

Voluptas oculorum varia eſt, & multiplex [a], quæ capitur ex aſpectu rerum, quæ ſunt

a *Varia eſt, & multiplex.* Al. *varia, & multiplex eſt.*

ſunt in uſu hominum [b] vel natura, vel opere delectabiles. Hanc Philoſophi rectiſſime ſuſtulerunt [c]:

b *In uſu hominum*. Heum. habet hæc pro gloſſemate. Bur. ait: *Num: in viſu hominum, aut potius: uſui hominum?*

c *Rectiſſime ſuſtulerunt*. Bon. *recentiſſime ſuſtulerunt*.

7

Ajunt enim multo eſſe præclarius, & homine dignius, cælum potius, quam cælata [a] intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus aſtrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quam picta, & ficta, & gemmis diſtincta mirari.

a *Cælum potius, quam cælata*. Ciceroniana dictio eſt *Orat.* II. *in Verr.*, ut bene annotavit Bunem.

8

Sed quum diſerte ad contemptum terreſtrium nos exhortati ſunt, & ad cæli ſpectaculum excitaverunt; tamen ſpectacula hæc publica [a] non contemnunt.

Ita-

a *Tamen ſpectacula hæc publica*. Vide Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum, alioſque ab Alexand.

xand. Natal. laudatos ſæc.IV. H. Eccl. Cap.VI. Articulo III. ; ut ex iis facile judicare poſſis , an ſit conſequens : *hanc eſſe perpetuam Eccleſiæ Doctrinam, quod Commœdiæ , & quæcumque ſpectacula ſint prohibita Chriſtianis*. Vel ſaltem ; an Lactantius in hocce capite doceat : *ſpectacula omnia , in quibus tragicæ hiſtoriæ ; vel comicæ oculis ſubjiciuntur ; Chriſtianis eſſe vetita* : Agitatas enim acriter inter viros doctiſſimos hac noſtra ætate hujuſmodi quæſtiones vidimus , de quibus icciirco Diſſ. XXVIII. Cap. IV. §. XVI. aliqua diximus, quæ ad theatra noſtrorum temporum potiſſimum ſpectant.

9

Itaque his & delectantur ; & libenter interſunt [a]. Quæ , quoniam maxima ſunt irritamenta vitiorum , & ad corrumpendos animos potentiſſime valent [b], tollenda ſunt nobis : quia non modo ad beatam vitam nihil conferunt , ſed etiam nocent plurimum.

---

a *Et libenter interſunt*. Bon. *interſerunt*. Al. *interſervant*.

b *Et ad corrumpendos animos potentiſſime valent*. Al. *ad corrumpendum*. Al. cum Iſæo *potiſſime*.

10

Nam qui hominem , quamvis ob merita damnatum , in conſpectu ſuo jugulari pro vo-

voluptate computat [a], conſcientiam ſuam polluit, tam ſcilicet, quam ſi homicidii [b], quod fit occulte, ſpectator, & particeps fiat.

---

a *Pro voluptate computat*: Verba hæc premenda ſunt, ut noſcatur intime Authoris noſtri mens, & ſenſus, in quo loquitur. A fine enim operantis opus, etiam ratione ſui bonum, malitiam contrait, ſi finis ille aut pravus, aut deordinatus ſit.

b *Quam ſi homicidii*. Hæc in Bon. Cod. non habentur.

11

Hos tamen ludos vocant [a], in quibus humanus ſanguis effunditur. Adeo longe ab hominibus ſeceſſit humanitas [b], ut quum animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores iis omnibus, quorum ſanguinem voluptati habent.

---

a *Hos tamen ludos vocant*: S. Cyprianus Lib. II. *Epiſt.* II. *Paratur*, inquit, *Gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium hominum ſanguis oblectet*. De huiuſcemodi ludis egimus Diſſ. XXVII. Cap. XVII. §. XI.

b *Seceſſit humanitas*. Al. *receſſit*.

12

Quæro nunc [a], an poſſint pii, & juſti ho-

---

a *Quæro nunc*. Bunem. putat non fruſtra in Bon. & Ta-

homines eſſe, qui conſtitutos ſub ictu mortis, ac miſericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, ſed & flagitant, feruntque ad mortem crudelia, & inhumana ſuffragia, nec vulneribus ſatiati, nec cruore contenti. Quin etiam percuſſos, jacenteſque repeti jubent [b], & cadavera ictibus diſſipari, ne quis illos ſimulata morte deludat.

Ira-

& Taxaq. legi: *Quære nunc*; Sed hæc lectio nobis omnino ignota eſt. Quamquam ab Iſæo indicata. Sed eam noſtri Codicis non eſſe, ſequens indicat, quæ ab eo prorſus prætermittitur. Sic enim continuat: *an pii*, *&* *juſti homines eſſe*: ubi tam idem Iſæus, quam alii omnes legunt: *an poſſint* &c.

b *Quin etiam percuſſos, jacenteſque repeti jubent.* Bon. *percurcuſſi biacentiſque repenti jubent.* Gladiatores quum primo conatu congrediebantur, *mutuo petere ſe*, dici conſueverat; at ſi eorum aliquis jam confoſſus, jacenſque vitam deprecaretur, hæc vel a populi, vel ab ſpectaculorum editore pendebat; ita quidem, ut ſi ab arena ſaucius erat removendus, pollicem, manu protenſa ad volam premebant: ſi vero iterum percutiendus, eumdem digitum adſtantes erigebant, vertebantque; Unde Juvenalis Satyr. III. ℣. 36. ait.

Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quem libet occidunt &c.

Et hoc *repeti* dicebatur. Vide omnino Tertullianum in Lib. *de Spectaculis* Cap. xxv., ubi utrumque verbum uſurpatum reperies.

13

Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter e duobus alter occiſus eſt, & tanquam humanum ſanguinem ſitiant, oderunt moras. Alios illis compares [a] dari poſcunt recentiores, ut quamprimum oculos ſuos ſatient.

a *Alios illis compares* &c. Schottus: *aliud par.* Duo ad minus eſſe debebant, qui in ludis Gladiatoriis colluctabantur; quos Cicero: *Par Gladiatorum* appellat de *Optim. Gener. Orator.* ſæpe autem contingebat, ut illi, qui victor remanſerat, alium, cum quo congrederetur, dari adſtantes juberent. Vide Lipſium *Lib. II. Saturn.* Cap. xix.

14

Hac conſuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus [a], ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt.

Hu-

a *Itaque non parcunt etiam innocentibus*: Hinc colligi quibuſdam poſſe viſum eſt, quod ſicuti Chriſti Martyres feris beſtiis exponebantur, ut ab illis dilaniati occiderentur, ſic etiam Gladiatoribus traderentur atrocius fortaſſe lacerandi. Quod ex Baronio uſitatum apparet in notis *ad Martyrolog. Rom.* Kalend. Januarii, quum de S. Almachii certamine loquitur, qui a Gladiatoribus occiſus dicitur.

15

Hujus igitur publici homicidii ſocios, & participes eſſe non convenit eos, qui juſtitiæ viam tenere nituntur. Non enim quum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet: ſed ea quoque ne fiant, monet, quæ apud homines pro licitis habentur.

a *Participes eſſe non convenit.* Nam, ut Salvianus ait *Lib.VI. de Provid.* Gaudere quum ferarum alvi humanis carnibus explentur, non minus pene eſt aſpectibus ſuis, quam illarum dentibus devorare, Unde Hieronymus *contra Ruffin.* ait: *Procul ſit a moribus Chriſtianorum, ut ſine gladio, voluntate ſint homicidæ*:

16

Ita neque militare juſto licebit [a], cujus militia eſt in ipſa juſtitia: neque vero accu-

a *Ita neque militare juſto licebit.* Iſæus *loquitur*, inquit, *pro tempore illo primitivæ, & adoleſcentis Eccleſiæ, quæ nec gladium habebat, nec decebat tunc illam armis uti* &c. Gallæus repoſuit: *Hæc non ſunt abſolute vera* &c. Langletius: *Anabaptiſticum dogma ſequitur Lactantius tantum pro tempore illo primitivæ, & adoleſcentis Eccleſiæ* &c. Plurimi primorum Eccleſiæ ſæculorum Patres in hac fuere ſententia, de qua

accuſare quenquam crimine capitali [b], quia nihil diſtat, utrumne ferro, an verbo potius occidas; quoniam occiſio ipſa prohibetur.

---

qua vide Grotium L.I. cap.II. §. IX. &c. *De jure belli, & pacis*; ſed ad Lactantii intelligentiam vide, quæ annotata ſunt a nobis libro antecedenti Cap. XVIII. Al. XVII. ſeg. 12. &c.

b *Neque quemquam accuſare crimine capitali.* Intellige de accuſatione, quæ a nulla lege jubeatur ob commune bonum tuendum, & commune malum a Republica arcendum. Tunc enim non ſolum accuſatio mala non eſt; ſed neceſſaria: neque urgent ea, quæ ſequuntur; nempe: *Itaque in hoc Dei præcepto nullam exceptionem fieri oportet* &c. Nam divinum præceptum de non occidendo, homicidium voluntarium reſpicit, & privatam, non autem publicam vindictam. Vide diſſ. XXVIII. Cap. IV. §. XXIII. ſeg.

17

Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſit ſemper nefas, quem Deus ſanctum animal [a] eſſe voluit.

Er-

---

a *Sanctum animal*: I.E. *quod violari non debet*: eodem ſenſu, quo Urbium mœnia *Sancta* dicuntur, quæ deſtruere, aut quomodocumque dolo malo, aut fraude vitiare; ſemper nefas eſt. Betulejus vero hac no-

noſtrum apoſtrophe compellat : *Nec potes Lactantii hæc ad Conſtantinum ſcribere , penes quem ſumma rerum fuit , qui te conſultore , nec in infideles expeditionem,nec in nefarios animadverſionem inſtituturus fuiſſet unquam* . Quibus nihil minus congruum dici poterat ; Nam ſi Lactantius Conſtantino author fuit , ut infideles , & nefarios homines armis exagitaret , jam apparet , eum non de quacumque , ſed folummodo de injuſta perſecutione hactenus eſſe locutum . Bon. *quod Deus Sacroſanctum animal* &c.

18

Ergo ne illud quidem concedi aliquis exiſtimet , ut recentes natos liceat oblidere [a] , quæ vel maxima eſt impietas . Ad vitam enim Deus inſpirat animas, non ad mortem .

a *Ut recens natos liceat oblidere*: Aldus,*recenter . . . ablidere*. Schottus *allidere* . Al. *recentes* . Al. *retentos* . Al. *elidere* . Hoc eſt : *ſtrangulare*. Columella Lib. VII. Cap. III. Sect. 8. *Ne anguſtiæ fœtus oblidant* ; I.E. *Circum ad mortem lædere* .

19

Verum homines,ne quod ſit facinus,quo manus ſuas non polluant , rudibus adhuc , & ſimplicibus animis [a] abnegant lucem non a ſe datam [b] . Ex-

a *Et ſimplicibus animis* . Al. *animabus* .

b *Abnegant lucem non a ſe datam* . Al. *ablegant* . Lux heic pro vita ſumitur, quam Deus, non homo hominibus tribuit; Ideoque jure, & merito, qui per negligentiam abortionis cauſſam dabant, etiamſi dolo malo id non feciſſent; ne tamen exemplo aliis nocerent, ad metallum damnabantur, vel ſi honeſtiores eſſent, amiſſa bonorum parte in Inſulam deportabantur. Quum vero data opera hoc fieri malum contingat, ultimo etiam ſupplicio reos affici, leges jubent. Vide Tertull. *Apolog*. Cap. IX. &c.

20

Expectet vero aliquis, ut alieno ſanguini parcant, qui non parcunt ſuo. Sed hi ſine ulla controverſia ſcelerari, & injuſti.

21

Quid illi, quos falſa pietas cogit exponere [a]? Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus objiciun-

a *Quos falſa pietas cogit exponere*: Reſpicit ad id, quod dixerat L. I. cap. VII. Lib. V. IX. nempe: *Qui natos ex ſe pueros aut ſtrangulent, aut ſi nimium pii fuerint, exponant*, ſuſcipiendos nimirum *ab aliqua prætereunte miſericordia extranea*: Sic Tertull. Apolog. Cap. IX. Immo *frigori*, *& fami*, *& canibus*. Falſa autem pietas, hæc viſa eſt Heumanno, quoniam ii qui filios

ciunt [b], & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent.

---

filios exponebant, *putabant ſe prioribus ſuis liberis pietatem: & beneficium præſtare, ſi, ne illorum minuatur hæreditas, poſteà natos abijciant*. Quam expoſitionem rejecit Bunem. quum plurimæ aliæ cauſſæ ſint, quare natos pueros parentes exponant. Ideo inter nos inſigne pietatis opus illud conſtitutum eſt, quo ſuſcipiuntur, & aluntur hujuſmodi infantes. Firmi, quam, ut in Diſſ.II. Patriam Lactantii diximus, in remotiori loco, ubi receptaculum eorum teriti cardine innititur, ita diſpoſitum eſt, ut ſtatim ac ibi puer deponitur, ſtrepitu edito, tintinnabula cuſtodes moneant, & excitent, ne diutius ſine ope remaneat infans, & pudori parcatur exponentis, cui ſtatim fugere permiſſum eſt. Appoſite carmen ibidem in lapide inſcriptum legitur:

Suſcipit heic pietas quos abjecere parentes.

b *In prædam canibus objiciunt*. Al. primas duas voces omittunt.

22

Quis dubitet, quin impius ſit, qui alienæ miſericordiæ locum tribuit [a]? qui etiam ſi contingat ei, quod voluit, ut alatur,

---

a *Qui alienæ miſericordiæ locum tribuit*. Al. legunt *non tribuit* quæ lectio repugnat cum ſequentibus. Paulus L. IV. ff. *de agnoſc., & alend. liberis*: ſa-

tur, addixit certe ſanguinem ſuum vel ad ſervitutem [b], vel ad lupauar.

ſapienter ait: *Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat; ſed & is, qui publicis locis miſericordiæ cauſſa exponit, quam ipſe non habet.*

b *Vel ad ſervitutem*: Scilicet ſi mas fuerit; *vel ad lupanar* ſi femella.

23

Quæ autem poſſint, vel ſoleant accidere in utroque ſexu, vel per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel unius Oedipodis declarat exemplum [a], duplici ſcelere confuſum. Tam igitur nefarium eſt exponere, quam necare.

a *Quod vel unias Oedipodis declarat exemplum.* Vere horrendum; Is quippe a Lajo Thebanorum Rege, patre ſuo, infans expoſitus (quod Oraculum dixiſſet, ab eo fore, ut Genitor interficeretur) & perforatis pedibus, vimine tranſmiſſo, arbori alligatus, quum vehementius ejularet, a Phorbante, Polybii Corinthiorum Regis Paſtore forte fortuna, auditus, conciſis vinculis, inde ablatus eſt, & a Merope Polybii Regis uxore adoptatus, eo pervenit, ut non ſolum patrem occideret, ſed etiam matrem Jocaſtam uxorem duxerit. Hiſtoriam hanc tragicis carminibus celebravit Sophocles inter Græcos, & Seneca inter Latinos: Verum etiam Plato *de legib.* L. VIII. & Plut. *de curioſitate*; aliique quamplu-

plurimi de eo loquuti ſunt : Unde Minucius Felix in Octavio : *Memoriæ , & Tragœdiæ veſtræ inceſtis gloriantur , quas vos libenter & legitis , & auditis .*

24

At enim parricidæ facultatum anguſtias conqueruntur , nec ſe pluribus liberis educandis ſufficere poſſe prætendunt . Quaſi vero aut facultates in poteſtate ſint poſſidentium , aut non quotidie Deus ex divitibus pauperes , & ex pauperibus divites faciat .

25

Quare ſi quis liberos ob pauperiem non poterit educare , ſatius eſt [a] , ut ſe ab uxoris congreſſione contineat , quam ſceleratis manibus Dei opera corrumpat .

a *Satius eſt, ut ſe ab uxoris congreſſione contineat :* Mutno ſcilicet conjugum conſenſu , ne adulteriis , & incontinentiæ alterius detur locus , & occaſio .

26

Ergo ſi homicidium facere , nullo modo licet , nec intereſſe omnino conceditur [a],

a *Nec intereſſe omnino conceditur* . Tertull. Lib. *de Sepctac.* Cap.XVI. *Quum ergo furor interdicitur nobis , ab omni ſpectaculo auferimur , etiam a Circo , ubi proprie furor præſidet .*

ne conſcientiam perfundat ullus cruor [b]. Siquidem populo ſanguis ille præſtatur.

b *Ne conſcientiam perfundat ullus cruor*; I.E. Ne delectetur de humano ſanguine turpiter effuſo.

27

In ſcenis quoque neſcio an ſit corruptela vitioſior [a]. Nam & comicæ fabulæ [b] de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum: & quo magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiarum elegantia perſuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi, & ornati.

a *Neſcio an ſit corruptela vitioſior*. Schottus. *corruptela deterior, an vitioſior*. Heum. exponit: *fortaſſe eſt*: quam expoſitionem probat, & illuſtrat Bunem.

b *Nam & comicæ fabulæ*: En comœdias, quas jure, & merito damnat Lactantius cum univerſo SS.Patrum choro.

28

Item tragicæ hiſtoriæ ſubjiciunt oculis parricidia, & inceſta regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant [a]. Hi-

a *Et cothurnata ſcelera demonſtrant*: En quas iidem

iidem reprobant Tragœdias in quibus nimirum ſcelera demonſtrantur cothurnata, id eſt, non ſolum tragica, & ſublimi dicendi genere elata. Quo ſenſu Martialis Lib.V. Epig.V. verſ. ultimo ait:

Grande cothurnati pone Maronis opus.

Sed numinibus tributa flagitia, quorum exemplo eadem patrare homines docebantur. Cothurnus enim erat quoddam calceamenti genus, ab Aeſchilo in Scenis invectum, quum primum perſonis, ac veſtibus Heroum, Heroinarumque actores Tragœdiarum induit; ut ex Horatio de Arte Poet. habetur a ℣.274.

Poſt hunc Perſonæ, Pallæque repertor honeſtæ.
Aeſchilus, & modicis inſtravit pulpita tignis:
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Adverte tamen non unius dumtaxat ſpeciei fuiſſe antiquorum cothurnos, ut plurimi perperam tradunt, Sed multiplicis, in primis enim recenſentur cothurni venatorii, quos inter habitus venatricis Dianæ, enumerat Nemeſianus in Cyneg. ℣. 90.

. . . . *Eja age ſuetos*
Sume habitus, arcumque manu: pictamque pharetram
Suſpende ex humeris: ſint aurea tela ſagittæ:
Candida pumiceis aptentur crura cothurnis.

Quos ad inſtar ocrearum fuiſſe Horatius oſtendit L.II. Sat.III. ℣.234., quum de venatore ait:

In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego.

Alterius generis erant puellares, cujus meminit Juvenalis Sat.VI. ℣.504. & Sidonius in *Effigie Italiæ*. Item Militares, qui caligæ dicebantur.

29

Hiſtrionum quoque [a] impudiciſſimi mo-

tus [b], quid aliud niſi libidines docent, & inſtigant? quorum enervata corpora, & in muliebrem inceſſum, habitumque mollita, impudicas fœminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur [c].

Quid

a *Hiſtrionum quoque* &c. Qui poetis operam ſuam in fabulis agendis perſonati locabant, Hiſtriones a Latinis dicti ſunt, vel ex eo, quod illorum primi ex Hiſtria in Thuſciam venerint; vel, quia *Hiſtor* vocabulum erat apud Thuſcos Ludionem ſignificans, & dicta, factaque alterius in ſcenam producens: varia illorum genera fuerunt, de quibus diſtincte egimus diſſ. ſuperius indicata.

b *Impudiciſſimi motus*. De peculiari illa hiſtrionum actione heic noſter loquitur, quæ in geſtibus, nutibus, ac membrorum motibus ſita erat, tantique apud antiquos in hac arte habita eſt peritia, ut propter eam apud Græcos, perfecte aliquid agere proverbio diceretur: *more Nicoſtrati*, & apud Latinos: *Roſcium in ſcena*. Idem hic præceptor Ciceronis in pronunciationis, ac geſtus exercitatione fuit; de quo in *Lib.II. de Orat. in Oration. pro Publ. Quintio*, & in illa pro eodem Roſcio habita, non ſine laude Tullius loquitur. Unde apparet Lactantium non artem reprehendere; ſed malum artis uſum, ut ſuo loco dicemus, heic voluiſſe.

c *Inhoneſtis geſtibus mentiuntur*. Ad rem Bunem. heic recitat Colum. verba ex præf. Lib.I. *Attoniti miramur geſtus effeminatorum, quod a natura ſexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiuntque*

que oculos ſpectantium. Phrynicus Tragicus primus fuiſſe dicitur, qui muliebrem perſonam in ſcenam induxit: ac mille drachmis ab Athenienſibus mulctatum, quod quum fabulam feciſſet Miletum a Dario captam, lacrymas ex aſtantium oculis excuſſiſſet: teſte Suida.

30

Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus diſciplinam [a]? qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes, aut virgines faciant, quum hæc & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt?

a *Quid de Mimiſ.... præferentibus diſciplinam*. Et hi non unius generis erant; Nam in hiſtoriis, atque inſcriptionibus leguntur nomina *Mimorum*, *atque Mimarum*, *Pontomimorum*, *Archimimorumque*, Item inter hos alii Pianipedes, alii Saltatores, Thymelici, Atellani, hiſtrionum genus turpiſſimum, nam teſte Valerio Max. Lib. II. Cap. VI. num. VII. eorum *argumenta majore ex parte ſtuprorum continet actus*.

31

Admonentur utique quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu maxime concitatur: ac ſe quiſque pro ſexu in

illis imaginibus præfigurat [a]: probantque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur: nec pueri modo, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, ſed etiam ſenes, quos peccare jam non decet [b].

---

a *Præfigurat*: Verbum hocce Tertulliano, ac Cypriano uſurpatum, notat Bunem. nec alibi occurrere ex Lexicis videtur eruere.

b *Jam non decet*: Al. *ſtatim addunt*: *in talem vitiorum ſemitam dilabuntur*. Quæ in noſtro Cod. non leguntur, deleta ſunt ab Aldo, & pro gloſſemate habentur a pleriſque.

32

Circenſium quoque [a] ludorum ratio quid aliud habet, niſi levitatem, vanitatem, inſaniam? Tanto nanque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur: ut jam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, quum exclamare, & efferri, & exilire cœperint. Vi-

---

a *Circenſium quoque* &c. Quamquam Tarquinius Priſcus in Circo Maximo hujuſmodi ludos opulentiſſime inſtituiſſe dicitur, non tamen uno, eodemque modo ſecutis temporibus agitari conſueverunt, ut ſuo loco videbimus. Plinius junior idem cum noſtro judicaſſe videtur L. IX. Epiſt. VI. quod jam annotaverat Cellarius.

33

Vitanda ergo ſpectacula omnia [a], non ſolum ne quid vitiorum pectoribus inſideat [b], quæ ſedata, & pacifica eſſe debent, ſed ne cujus nos voluptatis conſuetudo deliniat, & a Deo, atque a bonis operibus avertat [c].

---

a *Vitanda ergo ſpectacula omnia*. En conſequens illud Alexandri Natalis, de quo ſeg. 8. nota (*a*) diximus, intelligendum tamen non ſolum ex hactenus a Lactantio dictis; verum etiam ſecundum mox recitanda, in quibus potiſſimæ recenſentur cauſſæ, quare ſpectacula ſunt vitanda.

b *Non ſolum ne quid vitiorum pectoribus inſideat* &c. Bon. primam negativam particulam omittit. Al. *vitioſum*. Al. *inſedeat*. Al. *inſidat*. Heic primam cauſſam, quare fugienda ſunt ſpectacula oſtendit Lactantius; periculum nempe, quo ſe ſpectator exponit, dum iis data opera ſtudet, & iccirco inde moralis malitiæ gradus metiri debet. Si enim citra periculum fiat, nullum ex hoc capite peccatum erit; ſi vero periculum peccandi acceſſerit, quo is eſt vehementius, eo magis peccabit ſpectator. Vide Diſſert. ſupra indicatam.

c *A bonis operibus avertat*. Secunda cauſſa in omiſſione bonorum operum ſita eſt; ſi enim dum quis ſpectaculis delectatur, ea omittit, quæ ſui ſtatus officia ſunt, aut juſtitiæ, charitatiſve partes eſſe cenſentur, procul dubio peccati reus efficitur.

34

Nam ludorum celebrationes, deorum fe-

feſta ſunt [a]: ſiquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes ſunt conſtituti.

---

a *Deorum feſta ſunt*. Tertia demum, & omnium graviſſima cauſſa, ob quam ethnicorum ſpectacula fugienda erant, idolatriæ crimen jure cenſebatur; nam quum hiſce ludis feſta falſorum numinum celebrarentur, eorundem participes quodammodo fiebant ſpectatores.

35

Et primitus quidem venationes [a], quæ vocantur munera, Saturno attributæ ſunt, ludi autem ſcenici Libero [b], circenſes vero Ne-

---

a *Et primitus quidem venationes*. Aſſumptum demonſtrare incipit Author, & quidem ab Idolatriæ apud Romanos exordio ſibi ſumit initium, nam Macrobius de primis Romanorum, ſive potius Aboriginum Sacris ſermonem inſtituens L.*I. Saturn. Cap.VII.* narrat, quum primum in Italia ſimul regnaſſent *Janus, & Saturnus, & hic ſubito non comparuiſſet, excogitavit Janus honorum ejus augumentum; ac primum terram omnem, ditioni ſuæ parentem, Saturniam nominavit*. Aram *deinde cum ſacris, tamquam Deo condidit, quæ Saturnalia nominavit*. De muneribus ſive privatim ſive publice in his mitti, darive ſolitis, plurima ibidem, & apud alios authores habentur, inter quæ illud Beſtiarum recenſendum eſt, quod popu-

Neptuno [c]. Paullatim & cæteris diis idem honos [d] tribui cœpit, ſingulique ludi numinibus eorum conſecrati ſunt, ſicut Siſinnius Capito [e] in libris ſpectaculorum docet.

Si

---

pulo ita parabatur, ut interfectoribus earumdem, ac ſpectatoribus, veluti venatoriæ prædæ portio daretur diripienda. Tò *quidem* in Bon. deſideratur.

b *Ludi autem ſcenici Libero*. Donatus ad Terent. *Andriæ Prolog. Initium*, inquit, *Tragœdiæ, & Comœdiæ a rebus divinis eſt inchoatum, quibus pro fructibus vota ſolventes operabantur antiqui; Nam incenſis jam altaribus, & admoto hirco, id genus carminis, quod ſacer chorus reddebat Libero Patri, Tragœdia dicebatur*. Et poſt pauca: *At vero nondum coactis in Vrbem Athenienſibus, quum Apollini Nonio, I.E., Paſtorum, vicinorumque Præſidi Deo, conſtructis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, & compita feſtum carmen ſolemniter cantarent, orta eſt comœdia*.

c *Circenſes vero Neptuno*: Scilicet Neptuno Equeſtri circenſes ludi ſacri erant, iſque Conſus dicebatur. quaſi conſultorum Numen, teſte Servio ad Aen. VIII. ℣. *636*. Adde Livium Lib. I. Cap. IX. Tò *vero* Iſæus, & alii delent, quam vocem nos cum pleriſque bonis ex noſtro Cod. reſtituimus.

d *Paullatim tamen & cæteris diis idem honos* &c. Al. *Paullatim vero cæteris diis* &c. Bon. *item* honos.

e *Siſinnius Capito*. Bon. *Sinnius* Betul. *Quid ſi Aſinius, cujus Gellius* meminit Lib. V. Cap. XX. *Niſi forte Sinnium Nabatinorum Epiſcopum intelligere velis, vel aliquem alium*. Lipſius *de Amphitheat.* Cap. IV.,

& Gro-

& Grononv. *Sinnium* legunt. Syſinnium Diaconum laudat Hierony. Epiſt.xcii. ad Auguſt., & clii. ad Minerium, & Alexand. ſed *Siſinnium Capitonem* non cum aliis confundendum eſſe ex Servio apparet ad Virg. aen.1. ℣.114.

36

Si quis igitur ſpectaculis intereſt, ad quæ religionis gratia convenitur [a], diſceſſit a Dei cultu, & ad deos ſe contulit, quorum natales, & feſta celebravit.

a *Ad quæ religionis gratia convenitur*. Bon. *Atque religionis gratia convenit*.

CAP. XXI.

1

AUrium voluptas [a] ex vocum, & cantuum ſuavitate percipitur, quæ ſcilicet

a *Aurium voluptas ex vocum* &c. Bon. *volumptas & aurium* &c. Etiam Lactantii tempore erant, qui in privatis domibus muſicos ad ſui oblectamentum habebant, & quamquam Muſicæ artis peritiam, & uſum plurimi æſtimarent omnium fere terrarum populi; tamen iidem, qui eam laudant, ut Socrates, & Pla-

cet tam vitioſa eſt, quam oblectatio illa [b], de qua diximus, oculorum.

Plato, optime norunt, imminens reipublicæ damnum ex novis, delicatiſque modulationibus exoriri; nam qui iis dant operam animo diſtrahuntur, effeminantur, & ita molles fiunt, ut a rebus ſeriis avocentur. Vide Franc. Patrit. Lib.II. *de Reg. Tit.*xv.

b *Tam vitioſa eſt, quam illa* &c. Recole dicta Cap.ſuperiori a ſeg.33.

2

Quis enim non luxurioſum, ac nequam [a] putet, eum qui ſcenicas artes domi habeat? Atqui nihil refert, utrumne luxuriam ſolus domi, an cum populo exerceas in theatro.

---

a *Luxurioſum, ac nequam* &c. Intellige in re familiari ſolutum, ut Feſtus monet, & experientia docet in iis, qui muſicos domi alunt, pro quibus immodicas opes impendunt non ſine ærarii, & animarum diſpendio.

3

Sed jam de ſpectaculis dictum eſt: reſtat unum, quod eſt nobis expugnandum, ne capiamur iis, quæ ad ſenſum intimum [a] pe-

---

a *Ad ſenſum intimum*: Schottus, & Al. *integrum*.

penetrant. Nam illa omnia, quæ verbis carent, id eſt aeris, & nervorum ſuaves ſoni, poſſunt facile contemni, quia non adhærent, nec ſcribi poſſunt.

4

Carmen autem compoſitum, & oratio cum ſuavitate decipiens, capit mentes; & quo voluerit impellit [a]. Inde homines literati quum ad Dei religionem acceſſerint [b], ſi non fuerint ab aliquo perito doctore fundati [c], minus credunt. Aſ-

a *Quo voluerit, impellit*. Hinc quorundam poëtarum obſcena carmina, necnon proſæ quædam laſcivæ orationes jure exterminantur, quum pene incredibile ſit nocumentum, quo lectorum animos afficiunt. Duplex, immo multiplex ſuos authores pœna manet, utpote qui non ſolum proprii, ſed alieni quoque ſceleris ſe reos conſtituunt.

b *Quum ad Dei religionem acceſſerint*. Heum. exponit. *Quum chriſtianam religionem contemplandam ſuſcipiunt, ſacroſque libros inſpiciunt*. Non abſurde, ut infra, ubi ait: *Male capere eos horum verborum ſenſum, qui, accedere ad Dei religionem, putent hic eſſe idem, quod fieri chriſtianum*: Nam, non ſolum, ut ſcite annotat Bunem. ex antecedenti capite, aliiſque Lactantii locis ſenſus talis eruitur; verum etiam ex proxime ſequentibus.

c *Si non fuerint ab aliquo perito doctore fundati* &c. Bon. tres primas voces ommittit. Aldus ex Cod.

Cod. itidem Bon. ſed Longobard. eas reſtituit. Al. vel unum, vel alium ſequuntur, niſi quod nonnulli cum præcedenti negatione retinent *imperito*. Al. *perito*. Heumanno omnia verba iſta ſunt ſuſpecta, *quod*, ut ipſe ait, *vocabulum fundati, ceu ſorex aliquis prodit*. Sed Bunem. pro ſinceris habet, & non incongrue putat pro *fundati* corrigendum eſſe *formati*. Conf. L. IV, caput poſtremum, & Lib. V. Cap. I.

5

Aſſueti enim dulcibus, & politis ſive orationibus, ſive carminibus, divinarum literarum ſimplicem, communemque ſermonem pro ſordido aſpernantur. Id enim quærunt, quod ſenſum demulceat. Perſuadet autem quicquid [a] ſuave eſt, & animo penitus, dum delectat, inſidet.

a *Perſuadet autem quidquid ..... inſidet* Iſæus, & Al. *perſuadetque quidquid*. Bon. & Schottus: *inſidit*.

6

Num igitur Deus & mentis, & vocis, & linguæ artifex diſerte loqui non poteſt? Imo vero ſumma providentia carere fuco voluit ea [a], quæ divina ſunt, ut omnes intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur.

Er-

a *Carere fuco voluit ea, quæ divina ſunt*. Iſæus: *carere fuco voluit & quæ* &c.

7

Ergo qui veritati ſtudet, qui non vult ſe ipſe decipere [a], abjiciat inimicas, ac noxias voluptates, quæ animam ſibi vinciant [b], ut corpus cibi dulces, præferantur vera falſis, æterna brevibus, utilia jucundis.

---

a *Se ipſe decipere*. Al. *ſe ipſum*.

b *Quæ animam ſibi vinciant*. Bon. *vinciunt*. Schottus *ſibi objiciunt*. Al. *ſubjiciunt*. Hinc noſce quas voluptates ſenſuum vitandas cenſeat Lactantius ſecundum ea, quæ jam ſuperius diximus, & quæ mox dicturi ſumus. Heum. *conteſtus*, inquit, *docet*, *Lactantium ſcripſiſſe*: *ſuffocant*. Bon. primus: *ſibi illiciunt*: deinde *viciat* pro *vitiant*. At nihil mutandum cenſeo, quum: *vincire animum ſermonibus* phraſis ſit optima.

8

Nihil aſpectu gratum ſit [a], niſi quod pie, quod juſte fieri videas, nihil auditu ſuave, niſi quod alit animam, melioremque te reddit. Maximeque hic ſenſus non eſt ad vitium detorquendus, qui nobis ideo da-

---

a *Nihil aſpectu gratum ſit*. Adverte animum, quomodo expoſitionem noſtram heic confirmet Lactantius, quatenus ea oblectamenta ſenſuum vetat, quibus ii ad vitia detorquentur.

datus eſt, ut doctrinam Dei percipere poſſemus.

9

Itaque ſi voluptas eſt, audire cantus & carmina, Dei laudes canere & audire, jucundum ſit [a]. Hæc eſt voluptas vera, quæ comes, & ſocia virtutis eſt.

---

a *Itaque ſi voluptas eſt audire cantus* &c. Non ergo omnem voluptatem damnat Lactantius: ſed illam, quæ animam ſeducit, & depremit ad terrena; ea enim quæ animum afficit, & ad cæleſtia erigit, *comes eſt, & ſocia virtutis*, ut ſtatim noſter ſubdit, & Eccleſiæ diſciplina luculenter oſtendit.

10

Hæc eſt non caduca [a], & brevis, ut illæ, quas appetunt, qui corpori, ut pecudes, ſerviunt, ſed perpetua, & ſine ulla intermiſſione delectans.

---

a *Hæc eſt non caduca*: Al. *Hæc non eſt* &c. Al. *hæc caduca non eſt*.

11

Cujus terminos ſi quis exceſſerit, nihilque aliud ex voluptate petierit, niſi ipſam

ſam voluptatem [a], hic mortem meditatur: quia ſicut vita perpetua in virtute eſt, ita mors in voluptate.

---

a *Niſi ipſam voluptatem*, Iſæus: *niſi ſolam* &c.

12

Quis enim temporalia maluerit, carebit æternis [a]: qui terrena prætulerit, cœleſtia non habebit.

---

a *Temporalia maluerit carebit æternis*. Bon. *tempora maluerit*, *&* *caruerit* &c.

C A P. X X I I.

1

AD voluptates [a] autem ſaporis, & odoris, qui duo ſenſus ad ſolum corpus per-

---

a *Ad voluptates autem ....: nihil eſt, quod a nobis diſputetur*. Exponit Walchius. *Hæc ita ſuppleas*: *Ad diſputationes autem ſaporis*, *&* *odoris quod attinet* &c. *ſic præpoſitio Ad* pro *quod attinet*, *uſurpatur*. Quam expoſitionem idem author exhibuit etiamcap.x. ſeg.11. hujuſce libri. Bunem. vero nihil heic ſupplendum judicat, quum Cicero L.III. Tuſcul. cap.ix. & Lib. I. Cap.iv. eadem phraſi uſus ſit. Cenſeo expo-

pertinent [b], nihil eſt aliud, quod a nobis diſputetur, niſi forte quis exigit, ut dicamus, turpe eſſe ſapienti, ac bono, ſi ventri, & gulæ ſerviat [c], ſi unguentis oblitus, ac floribus coronatus [d] incedat: quæ qui facit,

poſitionem bonam eſſe; ſed non per modum ſupplementi: Bon. *At voluptates* &c.

b *Ad ſolum corpus pertinent*. Ex hiſce enim ſenſibus aut parum, aut nihil eſt, quod mens hauriat ſibi ſolummodo reſervatum, ſicuti ex viſu, & auditu in dies plurima percipit, quorum corpus particeps eſſe nequit.

c *Si ventri, ac gulæ ſerviat*. Ii ſunt, de quibus ſcriptum legitur: Quorum Deus venter eſt.

d *Si unguentis oblitus, aut floribus coronatus*: Al. *ac floribus*. Paganos occupat Lactantius, utpote qui apud Minucium Felicem fideles Chriſti Lucilii ore compellabant: *Non floribus caput nectitis; Non corpus odoribus honeſtatis* &c. cui addi debet Tertull. *de Coron. Militis*, & *Apolog.* Cap. XLVI., ut mutuo illuſtrentur, ſimulque percipiatur in his etiam pravum uſum damnari; non autem oblectamentum, quo ſobrie, ac honeſte recreatur animus, & novo quodam ſpiritu roboratur. Hinc Octavius apud eundem Minucium Felicem Lucilio reſpondet: *Quis autem ille eſt, qui dubitet vernis indulgere nos floribus, quum capiamus & roſam veris, & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris, & odoris eſt. His enim & ſparſis utimur mollibus, ac ſolutis, & ſertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus ignoſcite: Auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capilliſve ſolemus haurire.*

citi [e], utique inſipiens, ineptus, & nihili eſt [f], & quem ne odor quidem virtutis attigerit.

---

e *Quæ qui facit*: Sic etiam Aldus. Al. *quod, qui facit*.

f *Inſipiens, ineptus, & nihili eſt*; Bon. *nihil*. Al. *& ineptus*.

2

Fortaſſe quiſpiam dixerit: Cur ergo illa facta ſunt, niſi ut iis fruamur [a]: At enim jam ſæpe dictum eſt, virtutem nullam fuiſſe futuram, niſi haberet quæ, opprimeret. Itaque fecit omnia Deus [b] ad iſtruendum certamen rerum duarum,

Er-

---

a *Cur ergo illa facta ſunt, niſi ut iis fruamur?* Betulejus ſimili interrogatione quærit, cur piaculum cenſuit Tertullianus iis voluptatibus uti, de quibus hactenus Lactantius locutus eſt? *Nam conſtat*, inquit, *quidquid a Deo creatum eſt, in hominis uſum eſſe creatum*. Sed non vidit in hiſce met verbis reſponſum eſſe incluſum. Siquidem aliud eſt uti, aliud frui. Qui re aliquâ utitur, ad finem conſequendum utitur, qui eadem re fruitur, jam in ea finis rationem ponit: & iccirco, qui voluptatibus ſenſuum fruuntur peccant, quoniam ordinem invertunt, utendo fruendis, & fruendo utendis.

b *Itaque fecit omnia Deus*. Bon. *Hicque* &c. Aldus *Idque*.

3

Ergo illecebræ iſtæ voluptatum arma ſunt illius, cujus opus unum eſt, expugnare virtutem, juſtitiamque ex hominibus excludere [a]. His blandimentis, & ſuavitatibus titillat animas. Scit enim, quia mortis eſt fabricatrix voluptas.

a *Juſtitiamque ab hominibus excludere*. Iſæus *ab omnibus*. Al. *ex omnibus* Al. ſine præpoſitione utramque lectionem jungunt: *hominibus omnibus excludere*.

4

Nam ſicut Deus hominem ad vitam [a] nonniſi per virtutem, ac laborem vocat, ita ille ad mortem per delitias, ac voluptates; & ſicut ad verum bonum per fallacia mala, ſic ad verum malum per fallacia bona pervenitur.

a *Ad vitam*; Hæc in Bon. Ms. Cod. deſiderantur.

5

Cavenda ſunt igitur oblectamenta iſta, tanquam laquei, & plagæ [a], ne ſuavitudinum

a *Tamquam laquei, & plagæ*: Fere ſynonima ſunt

num mollitie capti, ſub ditionem mortis cum ipſo corpore redigamur, cui nos mancipavimus.

ſunt plagæ, & laquei in hoc ſenſu, niſi quod illæ majoribus, fortioribuſque feris parantur, iſti autem minoribus, & etiam volatilibus.

CAP. XXIII.

1

VEnio nunc ad eam, quæ percipitur ex tactu, voluptatem: qui ſenſus eſt quidem totius corporis. Sed ego non de ornamentis, aut veſtibus [a], ſed de ſola libidine dicendum mihi puto, quæ maxime coërcenda eſt, quia maxime nocet.

a *Non de ornamentis, aut veſtibus*. Ornamenta, & veſtes ad ſenſum tactus pertinere dicuntur, quatenus corpus aut levitate, & mollitudine, aut ruſticitate, & pondere diverſimode afficiunt. Item, quia, ut Auguſtum dixiſſe in ejus vita narrat Suetonius; *veſtitus inſignis, ac mollis, ſuperbiæ vexilium eſt, niduſque Luxuriæ*.

2

Quum excogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem, attribuit iis, ut ſe invicem ap-

appeterent, & conjunctione gauderent. Itaque ardentiſſimam cupiditatem [a] cunctorum animantium corporibus admiſcuit, ut in hos affectus avidiſſime ruerent, eaque ratione propagari, & multiplicari genera poſſent.

a *Ardentiſſimam cupiditatem*: Quæ ignis inſtar cæteras omnes longe vincit, & prætergreditur, niſi mature, & fortiter coerceatur.

3

Quæ cupiditas, & appetentia, in homine vehementior, & acrior invenitur, vel quia hominum multitudine [a] voluit eſſe majorem, vel quoniam virtutem ſoli homini dedit, ut eſſet laus, & gloria [b] in coërcendis voluptatibus, & abſtinentia ſui.

a *Vel quia hominum multitudinem ..... vel quoniam* &c. Al. Bis repetnnt: *vel quia*: eſt autem Tò vel propoſitio disjunctiva, cujus veritas ſi in parte alterutra ſit, ſatis eſt.

b *Ut eſſet laus, & gloria*: Fulvius Urſinus, & Iſæus mallent; *ut eſſet ei*. Bon. *ut eſſet illa, & gloria*.

4

Scit ergo adverſarius [a] ille noſter, quanta

a *Scit ergo adverſarius*. Bon. *ſic ergo* &c. Vide de *Opif. Dei Cap. I. ſeg. 7.*

ta ſit vis hujus cupiditatis, quam quidam neceſſitatem dicere maluerunt [b], eamque a recto, & bono ad malum, & pravum transfert [c].

---

b *Quum quidam neceſſitatem dicere maluerunt*. Al. *quidem*, quam vocem alii prorſus omittunt. Neceſſitatis vocabulum heic, & infra ſeg.38. ſenſu obvio uſurpatur, utpote quia ad humanum genus propagandum mutua utriuſque ſexus cupiditas iſta neceſſaria eſt; quemadmodum ad virtutes continentiæ, caſtitatis, & virginitatis intra certos limites coercendas, ut ſtatim ſubditur. Heum. *Quinam ſint illi*, quos Lactantius ſuppreſſo nomine heic indicare voluit: *ego quidem*. inquit, *ignoro*. Bunem. vero Triſmegiſti *de N.D. Allocut. ad Aſclep.* pag.88., interprete Apulejo, verba refert, ipſiuſque Apuleji in *Apolog.* inter quæ, *Neceſſitas* eodem ſenſu adhibetur.

c *A recto, & bono ad malum, & pravum transfert*. Bon. *ad pravum, & malum*: Schottus: *tranſtulerunt*.

5

Illicita enim deſideria immittit, ut aliena contaminent, quibus habere propria, ſine delicto licet. Objicit quippe oculis [a] irri-

---

a *Objicit quippe oculis*: Bon. *objicit præ oculis*. Aldus *obiicit utique præ oculis*. Al. *obiicit itaque*. Al. *obiicitque*; Al. *obiicit enim*: omiſſa, vel retenta particula *præ*.

ritabiles formas [b], ſuggeritque fomenta, & vitiis pabulum ſubminiſtrat:

b *Irritabiles formas*. Al. *irriſibiles*. Walchius, & Bunemannus, active uſurpatam vocem: *irritabilis* bene notant non occurrere. Num propterea legendum erit: *irretibiles*, aut potius *irritates* judicent Philologi.

6

Tum in intimis viſceribus [a] ſtimulos omnes conturbat, & commovet, & naturalem [b] illum incitat, atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumque decipiat.

a *Tum intimis viſceribus*; Bon. primam, Al. ſecundam particulam non habent.

b *Et naturalem* &c. Al. *naturam*, Al. *natura*.

7

Ac ne [a] quis eſſet, qui pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoque conſtituit [b], & pudorem infelicium mulierum publi-

a *Ac ne*: Al. *At ne*.

b *Lupanaria quoque conſtituit* &c. De Calligula narrat Suetonius non ſolum vectigal impoſuiſſe Mere-

blicavit, ut ludibrio haberet tam eos, qui faciunt, quam quas pati neceſſe eſt.

---

retricibus, verum etiam, *ne quod non manubriarum genus experiretur*, ut verbis utar hiſtorici, *lupanar in palatio conſtituit, diſtinctiſque, & inſtructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ, ingenuique ſtarent*. Quid ſimile refert Dio de Maſſalina Claudii, Xiphilinus de Avito. Lampridius in Alexandro Severo. Aeſchines contra Timarchum. Adde quæ annotavimus ad Lib. I. Cap. xx. Seg 3. Betulejus recitat heic Tertulliani verba ex Lib. *de Pallio*, & ſtatim ſubdit: *Inventi hodie quoque ſunt, qui lupanaria in republica Chriſtiana defendenda ſuſceperunt*. At malum hocce graviſſimum non vectigalium cauſſa, nec humano alio obtentu in magnis quibuſdam Urbibus contra voluntatem per tollerantiam permitti debuit, ne longe majora in populo exorirentur flagitia. Vide Gabutium in vita S.Pii V. R. P. Lib.I. Cap.X. ut Betuleii, Tuani, aliorumque ſimilium obtrectatorum calumnias hac in re detegas ſimul, & profliges.

8

His obſcœnitatibus animas ad ſanctitatem genitas [a], velut in cœni gurgite [b], demerſit, pudorem extinxit, pudicitiam profli-

---

a *Animas ad ſanctitatem genitas*: Sanctitas heic pro caſtitate uſurpatur, ut Cap.V. Seg.16. nota (*b*) indicavimus.

b *In cœni gurgite*: Al. *gurgites*. Al. *gurgitem*.

ſligavit [c]. Idem etiam mares maribus applicuit [d], & nefandos coitus contra naturam, contraque inſtitutum Dei [e] machinatus eſt. Sic imbuit homines, & armavit ad nefas omne.

---

c *Pudicitiam profligavit*. Lego cum membranis ſatis vetuſtis, Betulejo, Cell. Walchio, Heum. &c. Al. *fugavit*: Al. *lapidavit*: Al. *flagitavit*, quam lectionem laudant Iſæus, Bunem. & alii nonnulli, quoniam *Flagito* a *Flagitio* quodammodo derivari poſſe putatur.

d *Mares maribus applicuit*: Phraſis Petroniana Satyr. Cap. XXIII. Al. *admiſcuit* Aldus legit nobiſcum.

e *Contraque inſtitutum Dei*. Al. *contraque juſtitiam Dei*.

9

Quid enim poteſt eſſe ſanctum iis, qui ætatem imbecillam, & præſidio indigentem, libidini ſuæ depopulandam [a], fœdandamque ſubſtraverint?

---

a *Depcpulandam*. Bon. *indepopulandam*.

10

Non poteſt hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum [a], quam impios, & parricidas: qui-

---

a *Nihil amplius iſtos appellare poſſum*. Confirmant

quibus non ſufficit ſexus a Deo datus, niſi & ſuum profane [b], ac petulauter illudant. Hæc tamen apud illos levia, & quaſi honeſta ſunt.

mant hęc prędecentes expoſitiones noſtras; quaſi dicat: adeo grande eſt hoc ſcelus, ut me vocabula deficiant, & voces, quibus id exprimi plene poſſit. Heum. legit: *nihil aliud*, ſed jure hanc lectionem voluntariam reprobat Bunem.

b *Niſi etiam ſuum profane* &c. Bon. *profanae*. Al. repetunt *ſexum* Al. *niſi ſuum*. Aldus noſtram Lectionem præfert.

11

Quid dicam de iis, qui abominandam non libidinem, ſed inſaniam potius exercent? Piget dicere. Sed quid his fore credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum eſt quia fit. De iſtis loquor, quorum teterrima libido, & execrabilis furor ne capiti quidem parcit [a].

a *Ne Capiti quidem parcit*. Confer, quæ dicta a nobis ſunt ad Lib. V. Cap. IX. ſeg. 7. & ſcelus hoc tam abominandum puta, ut proſit ignorari.

12

Quibus hoc verbis, aut qua indignatione

ne tantum nefas proſequar ? vincit officium linguæ [a] , ſceleris magnitudo . Quum igitur libido hæc edat opera , & hæc facinora deſignet , armandi adverſus eam virtute maxima ſumus .

---

a *Vincit officium linguæ* &c. Hæc eadem verba habentur in Lib. de M.P. Cap. XLVIII. Seg. I.

13

Quiſquis affectus illos frenare non poteſt , cohibeat eos intra præſcriptum legitimi tori [a] : ut & illud , quod avide expetit , con-

---

a *Cohibeat intra præſcriptum legitimi tori* . Gallæus heic inquit ; *Hæc velim notari a Clero Romano , qui matrimonium Eccleſiaſticis , tamquam ſacrilegium interdicunt , & Laicis , tamquam Sacramentum commendant* . At Romanus Clerus , utpote a Chriſto domino per Apoſtolos , eorundemque legitimos ſucceſſores edoctus , hanc eandem doctrinam , quam ſcite adverſus heterodoxos circa matrimonium nunc propugnat , primitus accepit a D.Paulo , qui , ut S.Gregorius ait P.III. *Paſtoralis* Cap. XXVIII. *Peritus medicinæ cæleſtis Apoſtolus non tam ſanos inſtituit , quam infirmis medicamenta monſtravit* ; dicens 1. *ad Corinth. Cap.* VII. De quibus ſcripſiſtis mihi , bonum eſt homini mulierem non tangere . Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat , & unaquæque

conſequatur [b], & tamen in peccatum non incidat.

que ſuum virum habeat. *Qui enim fornicationis metum præmittit*, *profecto non ſtantibus præceptum contulit*; *ſed ne fortaſſe in terram rueret lectum cadentibus oſtendit*. Idem Apoſtolus *ad Epheſ.* V. docuit; *Matrimonium* Sacramentum eſſe, & quidem *magnum in Chriſto*, *& in Eccleſia*. Quantum autem ad continentiæ votum, quod Sacrorum Ordinum ſuſceptioni annexum voluit, vetus Eccleſiæ diſciplina eſt, de qua videnda eſt *Diſtinctio* XXXI. P.P. *Decr. Gratian.* præſertim Cap. XIV. & conf. Thomaſſin. de V. & N. Ecc. Diſc. P. I. Lib. II. cap. LX.

b *Ut & illud, quod avide expetitur conſequatur*. Sic etiam Aldus. Al. *aſſequatur*. Vide infra ſeg. 37.

14

Nam quid ſibi homines perditi volunt? Nempe honeſta opera voluptas ſequitur: ſi ipſam per ſe appetunt [a], juſta & legitima frui licet.

a *Si ipſam per ſe appetunt*: Bon. *ſi ipſa* &c.

15

Quod ſi aliqua neceſſitas prohibebit [a], tum

a *Quod ſi aliqua neceſſitas prohibet*: Bon. *& ſi ali-*

tum vero maxima [b] adhibenda virtus erit, ut cupiditati continentia reluctetur. Nec tantum alienis toris, quæ [c] attingere non licet, verum etiam publicis, vulgatiſque corporibus abſtinendum [d] Deus præcepit, do-

---

aliqua neceſſitas &c. Al. *prohibebit*: Neceſſitas heic cauſſam ſignificat, quæ multiplex eſſe poteſt, & tam a Canoniſtis, quam a Theologis exponitur ſub titulo *de impedimentis Matrimonium impedientibus, aut dirimentibus & de licito, & illicito ejus uſu*.

b *Tum vero maxime*. Bon. *maximae*. Al. *tunc vere maximopere*.

c *Alienis toris, quæ*: Hinc bene colligit Bunem. utroque genere gaudere vocem hanc, ut dici poſſit, *Torus Tori*, ac *Torum tori*: non enim exempla deſunt utriuſque acceptionis, & primæ quidem obvia ſunt; ſecundæ autem idem Bunem. exhibet in antiquo lapide ſepulchrali *Italiæ Firmæ*, in quo legitur.

Quæ commune torum ſervavit caſta mariti.

Et quamvis Voſſius adducto hoc carmine exemplum hujus formæ apud antiquos reperiri neget Lib.I. *Analog*. Cap.XXVI. Varro tamen apud Nonium Marcell. ait: *quod fronte in lecticæ ſtruebant, ex ea herba torta torum appellatum, hoc, quod injicitur Toral etiamnum dicitur*. Adde Sypont. *Corn. col.* 1090. *edit.* 1522.

d *Verum etiam publicis, vulgatiſque corporibus abſtinendum Deus præcepit*. Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. Cap.VI. paullo ante finem hoc manifeſte docet, quare ſapienter Iſæus hinc refellit Ebionis, & Helcheſeitarum hæreſim, qui S. Pauli Epiſtolas repudiant;

docetque nos, quum duo inter ſe corpora fuerint copulata, unum corpus efficere [e].

diabant, ut ſcribit S. Irenæus Lib.I. *adverſus hæret.*, aliorumque errores, qui omnium fœminarum uſum promiſcuum vetitum non eſſe affirmarunt.

e *Unum corpus efficere*. S. Paulus ubi ſupra, *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, faciam membra Meretricis? Abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret Meritrici unum corpus efficitur?* &c.

16

Itaque qui ſe [a] cœno immerſerit, cœno ſit oblitus neceſſe eſt: & corpus quidem cito ablui poteſt: mens autem contagione impudici corporis inquinata non poteſt, niſi & longo tempore, & multis bonis operibus, ab ea quæ inhæſerit, colluvione purgari.

a *Itaque qui ſe* &c. Iſæus. *Itaqne qui*,

17

Oportet ergo ſibi quenque proponere [a], duorum ſexuum conjunctionem generandi cauſ-

a *Sibi quemque proponere*. Bon. *quemquam* Al. *præponere*. Nobiſcum legunt Aldus, & Schottus.

cauſſa [b] datam eſſe viventibus, eamque legem his affectibus poſitam, ut ſucceſſionem parent.

b *Generandi cauſſa*. Al. *gignendi*.

18

Sicut autem dedit nobis oculos Deus, non ut ſpectemus [a], voluptatemque capiamus, ſed ut videamus propter eos actus, qui pertinent ad vitæ neceſſitatem: ita genitalem corporis partem, quod nomen ipſum docet, nulla alia cauſſa, niſi efficiendæ ſobolis [b] accepimus.

a *Non ut ſpectemus*, Intellige non ut aſpiciendo vetitam delectationem ex pulchritudine capiamus; *ſpecto* enim oblectamentum addit ſupra id, quod eſt ſimpliciter *aſpicere*, & *intueri*, Unde Seneca *de otio ſapient.* Cap.XXXII. de natura loquens ait; *Illam ſpectari voluiſſe, non tantum aſpici*.

b *Efficiendæ ſobolis*. Bon. *ſubolis*. Al. *effigiendæ*, Al. *effigiandæ*. Sic Schottus,

19

Huic divinæ legi [a] ſumma devotione pa-

a *Huic divinæ legi*; Deſunt hæc a noſtro Bon. Ms. Cod. Aldus, & Schottus legunt: *cui divinæ legi*.

parendum eſt. Sint omnes [b], qui ſe diſcipulos Dei profitebuntur, ita morati, & inſtituti, ut imperare ſibi poſſint.

b *Parendum eſt. Sint omnes* &c. Bon. *parendum, ut omnes* &c.

20

Nam qui voluptatibus indulgent, qui libidini obſequuntur, ii animam ſuam corpori mancipiant, morteque condemnant [a], quia ſe corpori addixerunt, in quo habet mors poteſtatem.

a *Morteque condemnant*. Al. *ad mortemque condemnant*. Aldus quoque legit nobiſcum. Quam locutionem Cellarius, & Bunem. neſcio qua ratione contemnant.

21

Unuſquiſque igitur, quantum poteſt, formet ſe ad verecundiam, pudorem colat [a], caſtitatem conſcientia, & mente tueatur: nec tantum legibus publicis pareat, ſed ſit ſupra omnes leges, qui legem Dei ſequitur [b].
Qui-

a *Pudorem colat*: Al. cum Iſæo: *pudoremque* Aldus copulam debet.

b *Sed ſit ſuper omnes leges, qui legem Dei ſequitur.* In Bon. Tò *Dei* deſideratur. Hujus ſententiæ ſenſus paullo infra clarius exponitur.

22

Quibus bonis ſi aſſueverit, jam pudebit eum in deteriora deſciſcere [a]: modo placeant recta, & honeſta, quæ melioribus jucundiora ſunt, quam prava, & inhoneſta [b] pejoribus.

a *Jam pudebit eum ad deteriora deſciſcere*; Sic nobiſcum Aldus. Al. *in deteriora deſcendere*.

b *Quam prava, & inhoneſta*. Bon. *honeſta*.

23

Nondum omnia caſtitatis officia executus ſum, quam Deus non modo [a] intra privatos parietes, ſed etiam præſcripto lectuli terminavit [b]: ut quum quis habeat uxorem, neque ſervam [c], neque liberam habere inſuper velit, ſed matrimonio fidem ſervet.

a *Quam Deus non modo*. Sic etiam Aldus. Al. *Quam non modo Deus*: Al. *Quem non modo* &c. Bunem. ex Iſæo Bon. Codicem adducunt legentem: *quæ*. At nec antiquior, nec Longobardicus Aldi hanc exhibet lectionem.

b *Præſcripto lectuli terminavit*; Sic ex noſtro Cod. reſtituo, ubi Al. *præſcriptos*. Al. *præſcriptio terminat*.

c *Neque ſervam*. Aldus, *nequam*.

24

Non enim, ſicut juris publici ratio eſt [a], ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium: maritus autem [b], etiam ſi plures habeat, a crimine adulterii ſolutus eſt.

---

a *Non enim ſicut juris publici ratio eſt*: Reſpicit ad L. I. C. ad L. *Juliam de Adult.* qua Mulieri non permittitur in publico judicio accuſandi facultas; etiam ſi propriam injuriam adverſus conjugem expoſtularet: quod non ſolum Lactantius noſter heic improbaſſe videtur; ſed etiam S. Athan. *Quæſt. ad Antioch.* Nazianz. Ambroſius &c. apud Cujac. eod. Titulo. Solonis autem lex talis erat: *Ne quis pro mœcho præhenditor in ea, quæ vel in Lupanari, vel publice proſtat. Quæ publice proſtant etiam ſervorum injuriæ obnoxiæ ſunt, per Lupanaria namque, atque ancillulas libido per mittitur*. *Jus publicum* nunc diverſimode accipitur.

b *Quæ habet alium*; *maritus autem* Bon. *quæ habet alium maritum* &c.

25

Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur [a], quiſquis com-

---

a *Adulter habeatur*. Matth. XIX. ℣.9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam; niſi ob*

compagem corporis [b] in diverſa diſtraxerit.

---

ob fornicationem, *& aliam duxerit*, *mœcatur*, *& qui dimiſſam duxerit mœcatur*, quam authoritatem infra Lactantius affert verbis parumper, integra ſententia, immutatis.

b *Compagem corporis*. Bon. *Comparum*, quam lectionem habet etiam Aldus.

26

Nec ob aliam cauſſam Deus, quum cæteras animantes ſuſcepto fœtu, maribus repugnare voluiſſet, ſolum omnium mulierem [a] patientem viri fecit, ſcilicet ne fœminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere, eoque facto caſtitatis gloriam [b] non tenerent.

S 2 Sed

---

a *Solam omnium mulierem*. Ariſtoteles Lib.IV. *de gen. Anim.* addit Equam, Plinius L.LXIII. ultra Equam ponit Suem. Vide Sinibald. *Geneathroph* L.VII. *Tract.*I.*C.IV.* Rodericus autem a Caſtro rationem reddit, quare vix de Equa credi poſſit, quod Ariſtot., & Plinius de illa aſſerunt & Plin. Lib.VII. Cap.XI. *Præter mulierem*, ait, *pauca animalia coitum novere gravida.* Quod intelligendum, ajunt, Phyſicorum excellentiſſimi dumtaxat ſub initio,& paucis a conceptione diebus, non autem prole jam formata.

b *Caſtitatis gloriam*, Loquitur de caſtitate conjugali.

27

Sed neque mulier virtutem pudicitiæ caperet, ſi peccare non poſſet. Nam quis mutum animal pudicum eſſe dixerit, quod ſuſcepto fœtu mari repugnat? Quod ideo facit, quia neceſſe eſt, in dolorem, atque in periculum veniat, ſi admiſerit [a].

a *In dolorem, atque in periculum veniat ſi admiſerit*. En ratio, quam affert Rodericus a Caſtro, a pleriſque non obſcuri nominis probatam.

28

Nulla igitur laus eſt, non facere, quod facere non poſſis. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia non natutalis eſt, ſed voluntaria [a].

a *Sed voluntaria* I. E. libera, & ſpontanea. Al. *voluptaria*.

29

Servanda igitur fides ab utroque alteri eſt, immo exemplo continentiæ, docenda uxor, ut ſe caſte gerat. Iniquum eſt enim, ut id exigas, quod præſtare ipſe non poſſis [a]. Quæ iniquitas effecit profecto, ut eſſent adul-

adulteria, fœminis ægre ferentibus præſtare ſe fidem non exhibentibus mutuam charitatem.

a *Iniquum eſt enim, ut id exigas, quod præſtare ipſe non poſſis*: Ulpian. in L. *Si uxor* §. *Judex* ff. *ad legem Jul. de Adul. Periniquum enim videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat*;

30

Denique nulla eſt tam perditi pudoris adultera, quæ hanc cauſſam non vitiis ſuis prætendat, injuriam ſe peccando non facere, ſed referre[a]. Quod optime Quintilianus[b] expreſſit: *Homo*, inquit, *neque alieni matrimonii abſtinens*[c], *neque ſui cuſtos: quæ inter ſe natura connexa ſunt*.

a *Injuriam ſe peccando non facere, ſed referre*. Quamquam plus mali oritur viro ex adulterio uxoris, quæ non ſolum fidem eidem frangit; ſed prolem extraneam obtrudit, & paternæ hæreditatis participes facit alienos.

b *Quintilianus*. Nempe in deperditis.

c *Abſtinens*. Bon. *appetens*.

31

Nam neque maritus[a] circa corrumpendas

a *Nam neque maritus*. Bon. *Nempe maritus*.

das aliorum conjuges occupatus, poteſt vacare domeſticæ ſanctitati: & uxor, quum in tale incidit matrimonium, exemplo ipſo concitata [b], aut imitari ſe putat, aut vindicare.

b *Exemplo ipſo concitata*. Sic etiam Schottus. Al. *incitata*.

32

Cavendum [a] ergo ne occaſionem vitiis noſtra intemperantia demus: ſed aſſueſcant invicem mores duorum, & jugum paribus animis ferant. Nos ipſos in altero cogitemus. Nam fere in hoc juſtititiæ ſumma conſiſtit, ut non facias alteri, quicquid ipſe ab altero pati nolis.

a *Cavendum ergo*: Al. *igitur*.

33

Hæc ſunt, quæ ad continentiam præcipiuntur a Deo; ſed tamen ne quis [a] divina præcepta circunſcribere ſe putet poſſe, adduntur illa [b], ut omnis calumnia, & occaſio

a *Sed tamen ne quiſ.....circumſcribere.* Al. *ſi quiſ.... conſcribere*.

b *Adduntur illa*. Sic etiam Schottus. Al. *addantur*. Al. *adducantur*.

ſio fraudis [c] removeatur: adulterum eſſe, qui a marito ejectam duxerit [d], & eum, qui præter crimen adulterii uxorem dimiſerit, ut alteram ducat. Diſſociari enim corpus, & diſtrahi Deus noluit.

c *Et occaſio fraudis*. Schottus addit: *& mortis*.
d *Qui a Marito duxerit ejectam*. Sic etiam Aldus. Al. *dimiſſam duxerit*. Al. *demiſſam*. Servavi Phraſim Lactantianam, nam in Lib. de M. P. Cap.XXXIX. Seg.3. habetur: *ejecturus uxorem*. Heic vero reſpecit ad eloquium divinum Matth.XIX.

34

Præterea non tantum adulterium eſſe vitandum, ſed etiam cogitationem, ne quis aſpiciat alienam, & animo concupiſcat: adulteram enim fieri mentem [a], ſi vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit.

a *Adulteram enim fieri mentem* &c. Etiam Ovidius hoc novit Lib.III. Amor. Eleg.IV. ℣.5.

35

Mens eſt enim profecto, quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur. In hac crimen eſt, in hac omne delictum [a]. S 4 Nam

a *In hac omne delictum*. *Nam etſi* &c. Bon. *in hac omne delictum manet, etſi*.

36

Nam & ſi corpus nulla ſit labe maculatum; non conſtat tamen pudicitiæ ratio, ſi animus inceſtus eſt: nec illibata caſtitas videri poteſt, ubi conſcientiam cupiditas inquinavit.

37

Nec vero aliquis exiſtimet, difficile eſſe, frenos imponere voluptati, eamque vagam, & errantem, caſtitatis, pudicitiæque limitibus includere, quum propoſitum ſit omnibus hominibus, eam vincere [a]: ac plurimi beatam, atque incorruptam corporis integritatem retinuerint, multique ſint, qui hoc cæleſti genere vitæ feliciſſime perfruantur.

---

a *Omnibus hominibus eam vincere*. Aldus delet primam vocem, Al. tertiam. En Cælebis vitæ illuſtre teſtimonium.

38

Quod quidem Deus non ita fieri præcepit, tanquam aſtringat, quia generari homines oportet, ſed tanquam ſinat. Scit enim quantam his affectibus impoſuerit neceſſitatem.

tem [a]. Si quis hoc, inquit [b], facere potuerit, habebit eximiam, incomparabilemque mercedem.

---

a *Impoſuerit neceſſitatem*. Supra ſeg.4. hunc locum expoſuimus.

b *Si quis, inquit*: Non verba ipſa heic recitantur; ſed ſenſus eorum, quæ habentur Matth. XIX. ℣.1. & 1. ad Corinth. *VII*.

39

Quod continentiæ genus quaſi faſtigium eſt, omniumque conſummatio virtutum. Ad quam ſi quis eniti, atque eluctari potuerit, hunc ſervum dominus, hunc diſcipulum magiſter agnoſcet, hic terram triumphabit [a], hic erit conſimilis [b] Deo, qui virtutem Dei cepit.

---

a *Triumphabit*. Al. *triumphavit*.

b *Hic erit conſimilis Deo, qui virtutem Dei cepit*. Schottus. *quia*. Al. *ceperit*.

40

Hæc quidem difficilia videntur, ſed de eo loquimur, cui calcatis omnibus terrenis, iter in cælum paratur. Nam quia virtus [a] in Dei

---

a *Nam quia virtus*. Aldus. *Namque*. Bon. *Nam, quae virtus*.

Dei agnitione conſiſtit, omnia gravia ſunt, dum ignores: ubi cognoveris [b], facilia. Per ipſas difficultates nobis exeundum eſt, qui ad ſummum bonum tendimus.

b *Dum ignores : ubi cognoveris*. Bon. *dumque ignores : ubi cognoris*.

C A P. XXIV.

I

NEc tamen deficiat aliquis, aut de ſe ipſo deſperet, ſi aut cupiditate victus, aut libidine impulſus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injuſtitiæ viam lapſus eſt [a]. Poteſt enim reduci, ac liberari, ſi eum pœniteat actorum, & ad meliora converſus, ſatisfaciat Deo [b]:

Quod

a *Ad injuſtitiæ viam lapſus eſt*. Bon. *aut injuſtitiæ via lapſus eſt* Schottus *a juſtitiæ via* &c. Sed nihil omnino immutandum, quum phraſis hæc ſit Lactantio frequens, & Cicero pro Sextio dixerit: *Ad inſolitum genus dicendi labi*. Vide Noſtrum L. IV. Cap. I. Lib. VI. Cap XIII. &c. Lib. I. Cap. XXI.

b *Satisfaciat Deo* : Heum. putat hanc eccleſiaſticam eſſe dictionem, quæ nihil aliud ſignificat, quam agere pœnitentiam peccatorum; Sed errat, nam ſatisfa-

factio juſtitiam, & gratiarum actionem, ſignificat: Cicer. Lib. XIV. Epiſt. VII. ad Terentiam: *Statim ita ſum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam feciſſe videatur, cui quidem tu Deo, quemadmodum ſoles, pie, & caſte ſatisfacias.* Poſtquam ergo pœnitentiam egerit peccator, Deo gratias agat ad meliora converſus, & tantum agat, quantum ſit ſatis ad ſui ſceleris vindictam, quod proprie, & latine *ſatisfacere* dicitur juxta Aſconium. Plautus in Amph. Act. III. Sc. 2. a V. 7.

. . . . . Quia ego illum aut deſeram,
Aut ſatisfaciat mihi: atque adjuvet inſuper:
Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit.

2

Quod fieri poſſe Cicero non putavit, cujus hæc in Academico tertio [a] verba ſunt: *Quod ſi liceret, ut iis* [b], *qui in itinere deerraviſſent, ſic vitam deviam* [c] *ſecutis, corrigere errorem pœnitendo, felicior eſſet emendatio* [d] *temeritatis.*

Li-

a *Academico tertio.* Hujus libri fragmenta ſolummodo ſuperſunt, a Nonnio laudata.
b *Ut iis . . . . . deerraviſſent.* Al. *vitiis . . . . deerraſſent.*
c *Si vitam deviam* &c. Al. *viam deviam ſecutos.* Bon. *ſecutus.* Iſæus duce Patritio: *ſecutis.*
d *Facilior eſſet emendatio.* Al. *felicior.*

3

Licet plane. Nam ſi liberos noſtros, quum delictorum ſuorum cernimus pœnitere, correctos eſſe arbitramur, & abdicatos, abjectoſque rurſus tamen ſuſcipimus [a], fovemus, amplectimur: cur deſperemus, clementiam Dei patris pœnitendo poſſe placari?

a *Rurſus tamen ſuſcipimus*: interponunt aliqui, *ſuſtentamus*. Aldus nobiſcum legit.

b *Pœnitendo poſſe placari?* Bon. *non poſſe*. Et ſic etiam Aldus.

4

Ergo idem Dominus, ac parens indulgentiſſimus remiſſurum ſe pœnitentibus peccata promittit, & obliteraturum omnes iniquitates [a] ejus, qui juſtitiam denuo cœperit operari.

a *Obliteraturum omnes iniquitates ejus*. Al. *oblitu-rum* Ezech. XVIII. ℣. 2. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*, quibus cum congruunt, quæ heic *& quæ ibidem ſequuntur. Adde Eſaiæ XLV. Hier. III.* Matth. XVIII.

5

Sicut enim nihil prodeſt male viventi an-

anteactæ vitæ probitas [a], quia ſuperveniens nequitia juſtitiæ opera delevit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto [b], quia ſuperveniens juſtitia labem vitæ prioris abolevit.

---

a *Vitæ probitas* Bon. *vitæ pravitas*.
b *Peccata vetera correcto*. Al. *veterat correptos*.

6

Quem enim [a] facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit. Ideoque, Græci melius & ſignificantius μετάνοιαν dicunt, quam nos poſſumus reſipiſcentiam dicere [b]: reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget [a]. caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectius vivendum: tum illud ipſum maxime cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.

De-

---

a *Quem enim* Al. *quis enim* Al. *Is enim quem* &c.
b *Quam nos poſſumus reſipiſcentiam dicere*. Al. interponunt adverbium *latine* Al. pro *poſſumus*: *poſſimus* legunt. Vox *reſipiſcentia* Latini debent Lactantio, ſicuti, & alia plurima eleganter cuſa, ut in Diſſ. XXI. dicemus.
c *Quem errati piget*. Bon *quem enim piget*.

tas noſtra [b] ſubjecta eſt, medicina pœnitentiæ ſubveniret. Ergo quicunque aberraverit, referat pedem, ſeque quamprimum recipiat, ac reformet:

b *Cui fragilitas noſtra*; Iſæus: *fragilitas carnis*.

10

Sed revocare [a] *gradum, ſuperaſque evadere ad auras:*
Hoc opus, hic labor eſt.

Deguſtatis enim male jucundis voluptatibus, vix divelli ab his poſſunt. Facilius recta ſequerentur, ſi earum ſuavitates non attigiſſent. Sed ſi eripiant ſe malæ ſervituti, condonabitur his omnis error, ſi errorem ſuum vita meliore correxerint.

a *Sed revocare* &c. Virgil. Aen. VI. ℣.128.

11

Nec lucrari ſe quiſquam putet, ſi delicti conſcium non habebit. Scit enim ille omnia, in cujus conſpectu vivimus [a]: nec ſi uni-

a *In cujus conſpectu vivimus*: Vide expoſitores, ac Sacros interpretes Scripturarum ad Lib.III. Reg. ℣.1.

ſi univerſos homines celare poſſumus, Deum poſſumus: cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum. Quod in exhortationibus ſuis Seneca [b] mirabili ſententia terminavit.

℣.1. ut probe ſcias quid proprie ſit vivere, & ſtare in *conſpectu Domini*.

b *Seneca exhortationes ſuas.* Quamvis iſtarum libri ſint deperditi, ſententiam tamen hanc habet idem Author. Lib.XXI. Epiſt.1. Quæ Al. eſt LXXXIII. ubi in procemio ait: *Sic certe vivendum eſt, tamquam in conſpectu vivamus. Sic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit: & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum; nihil Deo clauſum* (al. cluſum) *eſt* Lectio noſtra optima eſt; quamquam alii legunt: *quod Seneca* Al. *qua Seneca*,

12

Magnum, inquit, *neſcio quid, majuſque quam cogitari poteſt, numen eſt, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodeſt incluſam eſſe conſcientiam*[a]; *patemus Deo*.

a *Nam nihil prodeſt, incluſam eſſe conſcientiam*. Bon. Omiſſa particulam *Nam*: habet: *Nihil prodeſt incluſa conſcientia*. Aldus addit *Nam* &c.

13

Quid verius dici poteſt ab eo, qui Deum noſ-

noſſet, quam dictum eſt ab homine veræ religionis ignaro [a]? Nam & majeſtatem Dei expreſſit, majorem eſſe dicendo, quam ut eam cogitatio mentis humanæ capere poſſet, & ipſum veritatis attigit fontem, ſentiendo, vitam hominum ſupervacuam non eſſe, ut Epicurei volunt, ſed Deo ab his operam vivendo dari, ſi quidem juſte, ac pie vixerint.

---

a *Veræ Religionis ignaro*? De Senecæ religione diximus ad Lib.I. Cap.V.

14

Potuit eſſe verus Dei cultor, ſi quis illi monſtraſſet. Ac contempſiſſet profecto Zenonem [a], & magiſtrum ſuum Sotionem [b], ſi veræ ſapientiæ ducem nactus eſſet.

---

a *Zenonem*. Stoicæ ſectæ principem, de quo eodem Libro I. & alibi locuti ſumus.

b *Magiſtrum ſuum Sotionem*: De quo idem Seneca Epiſt.XLIX. *Modo apud Sotionem Philoſophum puer ſedi, modo cauſſas agere cœpi*,& S. Hieronym. *in Chron. Euſeb. contin.* ait: *Sotio Philoſophus Alexandrinus, præceptor Senecæ; clarus habetur*. Vide Laertium Lib. X. Seg.4.

15

Huic nos, inquit, *approbemus*. Cæ-

leſtis prorſus oratio [a], niſi antecederet ignorantiæ confeſſio [b]: *Nihil prodeſt incluſam eſſe conſcientiam* [c]; *patemus Deo* . Nullus ergo mendacio , nullus diſſimulationi locus eſt , quia parietibus oculi hominum ſubmoventur: Dei autem divinitas nec viſceribus [d] ſubmoveri poteſt , quo minus totum hominem perſpiciat , & norit .

a *Cæleſtis prorſus oratio* . Bon. *cæleſtis prorſus orationis* .

b *Ignorantiæ confeſſio*: Scilicet in recitatis illis Senecæ verbis: *neſcio quid majus* .

c *Incluſam eſſe conſcientiam* . Al. *habere conſcientiam* .

d *Nec viſceribus* . Bon. *nec viſceri* .

16

Idem in ejuſdem operis primo [a]; *Quid agis* [b]? inquit: *quid machinaris? quid abſcondis? Cuſtos te tuus ſequitur . Alium tibi peregrinatio ſubduxit, alium mors, alium valetudo , hæret hic , quo carere nunquam potes* .

a *Ejuſdem operis primo*: Nempe exhortationum jam pridem deperditarum .

b *Quid agis?* Al. *quid ais* .

17

Quid locum abditum legis , & arbitros

re-

removes [a]? *Puta tibi contigiſſe, ut oculos omnium effugias* [b]? *demens! Quid tibi prodeſt non habere conſcium, habenti conſcientiam?*

---

a *Et arbitros removes? Puta* &c. Bon. *Putas* Iſæus: *arbitrum* Al. *putare*.

b *Ut oculos omnium effugias? Demens! quid tibi* &c. Verborum ſenſus, & Senecæ ſtylus hanc mihi interpunctionem indicarunt. Bon. pro *effugias*, habet: *offundas*.

18

Non minus mirabiliter de conſcientia, & Deo Tullius [a]: *Meminerit*, inquit, *Deum ſe habere teſtem* [b], *id eſt* (*ut ego arbitror*) *mentem ſuam*, *qua nihil homini dedit Deus ipſe divinius*.

---

a *Et Deo Tullius*. Bon. *& ideo Tullius*. Hæc verba ſunt ex Lib. *Offic.* III. Cap.III. Al.X.

b *Deum ſe habere teſtem*. Al. pronomen omittunt.

19

Item quum de bono, & juſto viro loquiretur. *Itaque talis* [a] *vir*, inquit, *non mo-*

---

a *Itaque talis vir* &c. Idem Cicero ibidem prope finem capitis.

modo facere, ſed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare. Purgemus igitur conſcientiam, quæ oculis Dei pervia eſt [b]: & ut ait idem [c], *ſemper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur.*

b *Quæ oculis Dei prævia eſt*: Bon. *pervisa*. Al. *oculis Dei eſt pervia*.
c *Ut ait idem*. Cicero *Verrina IV*.

20

Putemuſque, nos momentis omnibus non in aliquo (ut ille dixit [a]) *orbis terræ theatro* ab hominibus, ſed deſuper ſpectari ab eo, qui & judex, & teſtis idem eſt futurus [b], cui rationem vitæ repoſcenti, actus ſuos inficiari non licebit.

a *Ut ille dixit*. Idem Tullius *Verrina* ultima Cap. XIV.
b *Et teſtis idem eſt futurus*. Al. *teſtis ipſe futurus eſt*.

21

Ergo ſatius eſt aut effugere conſcientiam, aut nos ipſos ultro aperire animum [a], & per-

a *Aut nos ipſos ultro aperire animum, & perniciem,*

& perniciem reſciſſis vulneribus effundere, quibus nemo alius mederi poteſt, niſi ſolus ille, qui greſſum claudis, viſum cœcis reddidit, maculata membra purgavit, mortuos excitavit.

---

ciem, *reſciſſis vulneribus*, *effundere* &c. Quid clarius dici poteſt pro peccatorum, & quidem occultorum confeſſione, quam auricularem vocant? Maxime ſi tempus reſpicias, in quo adhuc arcani diſciplina vigebat. Quid aliud eſt *ultro aperire animum*; *& reſciſſis*, id eſt, non *renovatis*, ut putavit Bun. ſed *detectis*, veluti ablatis iis, quibus vulnera obtegebantur, *velaminibus*, *detectis*, inquam, *vulneribus*, *perniciem effundere*? Niſi peccata Sacerdoti dolenter confiteri? Explicent hunc locum aptius, ſi ſapiunt, Remoſtrantes, hujus Sacramenti oſores, & erunt nobis Apollines.

22

Ille ardorem cupiditatis extinguet, extirpabit libidines, invidiam detrahet a, iram mitigabit. Ille reddet veram, & perpetuam ſanitatem.

---

a *Invidiam detrahet* Al. *diſtrahet*. Aldus, & Schottus legunt nobiſcum.

23

Appetenda eſt hæc omnibus medicina,

 quo-

quoniam majori periculo vexatur anima quam corpus, & quamprimum latentibu morbis adhibenda curatio eſt [a].

a *Et quamprimum latentibus morbis adhibenda cu ratio eſt*: Perpende, quæſo, de quibus heic crimi bus loquatur Lactantius: num de publicis, ac notis an de occultis, & ignotis?

24

Neque enim ſi utatur aliquis oculorur acie clara, membris omnibus integris, fi miſſima [a] totius corporis valetudine: tame eum non dixerim [b] ſanum, ſi efferatur ira ſuperbia tumidus [c] infletur, libidini ſerviat cupiditatibus inardeſcat.

a *Firmiſſima*: Al. *fortiſſima*.
b *Tamen eum dixerim*. Al. *tum eum dixerim*.
c *Superbia tumidus*. Bon. *tumore* & Sic Aldus.

25

Sed eum potius, qui ad alienam felici tatem non attollat oculos, opes non admi retur, alienam mulierem ſancte videat, ni hil omnino appetat [a], nihil concupiſcat alie num

a *Nihil omnino appetat*. Hæc deſiderantur in no ſtro Bon. Cod.

num, non invideat ulli, non faſtidiat quenquam, ſit humilis, miſericors, beneficus, mitis, humanus, pax in animo ejus perpetua verſetur. Ille homo ſanus, ille juſtus, ille perfectus eſt.

26

Quiſquis igitur his omnibus præceptis cæleſtibus obtemperaverit, hic cultor eſt veri Dei, cujus ſacrificia [a] ſunt manſuetudo animi, & vita innocens, & actus boni.

---

a *Cujus ſacrificia* &c. Reſpicit ad illud Pſal. L. ℣.19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, &c.

27

Quæ omnia qui exhibet, toties ſacrificat, quoties bonum aliquid, ac pium fecerit. Deus enim non deſiderat victimam neque muti animalis, neque mortis, ac ſanguinis, ſed hominis, & vitæ [a].

---

a *Hominis*, *&* *vitæ*. Al. *hominis vitam*.

28

Ad quod ſacrificium neque verbenis [a] opus

---

a *Neque verbenis* &c. Rencenſentur heic res, qui-

opus eſt, neque fibris [b], neque ceſpitibus [c], quæ ſunt utique vaniſſima: ſed iis, quæ de intimo corde [d] proferuntur.

---

quibus Ethnici in ſuis utebantur ſacrificiis, & in primis mentio fit de verbena, quæ quamvis ſecundum Donatum dicta ſit: *Quaſi herbena* pro omni herba ad aras coronandas apta, tamen proprium eſt nomen plantæ; quæ ab aliquibus: *herba ſacra* etiam vocatur, & *Ros marinus*. Sumebatur a Romanis de loco Sacro Capitolii, eaque coronabantur Feciales, & Paterpatratus, fœdera ferituri, vel bella indicturi, ut ait Servius, ad Virgil. XII. a ℣. 117. æn.

. . . . parabant.
In medio focos, & Diis communibus aras
Gramineas. Alii fontemque, ignemque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti

b *Neque fibris*: Scilicet animalium ſacrificatorum, in quibus ſe noſſe futura, Aruſpices venditabant, ut jam diximus. Ab hiſce verbis lacuna unius fere folii aperitur in Codice Bononienſi.

c *Neque ceſpitibus*. Romanis enim moris erat, ceſpitem aræ ſuper imponere, ut ait Servius, ubi ſupra, quum ſacrificabatur Numini.

d *De intimo corde*: Al. *de intimo pectore*.

29

Itaque in aram Dei [a], quæ vere maxima

---

a *Itaque in aram Dei . . . . . imponitur*. Phraſis eſt bo-

ma eſt [b], & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non poteſt ſanguine, juſtitia imponitur, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia. Hic eſt veriſſimus ritus, *hæc illa lex Dei* (ut a Cicerone dictum eſt [c]) *præclara, & divina ſemper, quæ* [d] *recta, & honeſta jubet, vetat prava, & turpia: cui parentem ſanctiſſimæ, ac certiſſimæ legi, juſte, ac legitime neceſſe eſt vivere.*

 Cu-

bonis Latinis uſitata; nec video quare a Walchio improbetur, nam imponere in collum, in navim, in regionem, in aliquem, paſſim Livius, Cicero, Cæſar Plautus, aliiqui dixerunt, ideo in Miſcell. Lipſienſ. Tom.III. Obſ.72. bene ſe geſſit, quum ſuæ prætulit Bunemanni explicationem.

b *Quæ vere maxima eſt*: Romani Aram Maximam eam vocabant, quæ Herculi Potius excitaverat, quum ſe & Jovis filium diceret, & morte Caci ſuam virtutem oſtendiſſet. Virgil. æn. VIII. a ℣.269.

. . . . primuſque Potius auctor,
Et Domus Herculei cuſtos Pinaria Sacri
Hanc aram Luco ſtatuit, quæ maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper

Hanc ſuis temporibus poſt Januas Circi maximi fuiſſe, dicit Servius, quem ibidem conſule, ſi plura de ea ſcire deſideras.

c (*Ut a Cicerone dictum eſt*) Lib.I. *de leg.*, & Lib.II. utrobique ante medium.

d *Semper quæ*: Schottus, *ſemperque*. Similem huic Cicero ſententiam habet Lib I. *de Leg.* Cap.VI., & Lib.II. Cap.IV.

30

Cujus legis pauca equidem capita poſui, quod ſum pollicitus, ea me tantummodo eſſe dicturum [a], quæ ſummum faſtigium virtuti, & juſtitiæ imponerent.

a *Quod ſum pollicitus, ea me tantummodo eſſe dicturum, quæ ſummum faſtigium virtuti, & juſtitiæ imponerent.* Verba notanda iis, qui ex Lactantii ſilentio, jure ſe improbare autumant quicquid in divino cultu adhibet catholica Eccleſia non intelligentes hanc eſſe, quam ſtatim *fontem* appellat, ex quo peti debet quicquid ultra deſideratur.

31

Si quis volet cætera omnia comprehendere, ex fonte ipſo petat, unde ad nos rivus iſte manavit.

CAP. XXV.

1

NUnc de ſacrificio ipſo pauca dicemus. *Ebur*, inquit Plato, *non caſtum donum Deo* [a]: Quid ergo? Picta ſcilicet & tex-

a *Ebur, inquit Plato, non caſtum donum Deo:* En Pla-

texta pretioſa [b]? imo vero non caſtum donum Deo [c], quicquid corrumpi [d] poteſt.

Platonis verba ex verſione Marſilii Ficini petitam. *Ebur vero quum olim ab anima deſtitutum fuerit corpus, ad Deorum ſimulacra ineptum eſt*. Hoc tamen Platonis monitum, quemadmodum, & alia plurima, jus non obtinuit, ſiquidem Deorum ſimulacra, ac Templorum ornamenta ex ebore facta fuiſſe Plinius diſertiſſime tradit L.VIII. Cap.X. ubi de Elephante agens, ait: *Dentibus ingens pretium, & Deorum ſimulacris laudatiſſima ex iis materia*: & Lib.XII. Cap.I. *Ex arbore & Simulacra Numinum fuere, nondum pretio excogitato belluarum Cadaveri, antequam, ut a Diis nato jure luxuriæ, eodem Ebore Numinum ora ſpectarentur, & menſarum pedes*, & Virgil. Lib.I. Georg. ℣.480.

Et mæſtum illacrimat templis ebur.....

At Cicero Platonis verba ſic interpretatus eſt Lib.II. *de legibus* Cap.VIII. *Ebur ex inani corpore extractum haud ſatis caſtum donum Deo*.

b *Non caſtum donum Deo*. Betulejus. *vela*, inquit, *colligens Platonis, Senecæ, Ciceronis, & Hermetis teſtimoniis, quiſnam verus ſit Dei cultus, quæ ſacrificia Deo placeant, oſtendit: Quæ magis ſunt cum vera, & catholica doctrina conjuncta, quam quæ Romana de his traditio docuit*. Depravando nimirum ſenſa Authoris noſtri non ſolum, ſed etiam Ethnicorum in hocce capite ab eo laudatorum, quæ a nobis ſuæ interpretationi reſtituuntur. Diſſ.XXXV. c.II.§.VI.

c *Ficta ſcilicet, & texta pretioſa?* Plato ibidem *Texturæ quoque opus offeratur non majus, quam quod ab una muliere menſe uno fieri potuit..... diviniſſimæ*

vero oblationes ſunt aves, atque Picturæ, quas ſingulas uno die Pictor unus depinxit.

Fere eadem habet ibidem Cicero

d *Quicquid corrumpi* &c. Schottus, & alii : *ſurripi quidquid* &c.

2

Sed ſicut hoc vidit, non oportere viventi offerri aliquid, quod ſit ex mortuo corpore : cur illud non vidit, non debere incorporali corporale [a] munus offerri? Quanto melius Seneca, & verius?

a *Incorporali corporale* &c. Vide Geret. pag.9.

3

Vultis ne vos, inquit, *Deum cogitare magnum, & placidum, & majeſtate leni verendum amicum, & ſemper in proximo? Non immolationibus, & ſanguine multo colendum, (quæ enim ex trucidatione immerentium, voluptas eſt?) ſed mente pura, bono, honeſtoque propoſito. Non templa* [a] *illi congeſtis in altitudinem ſaxis extruenda ſunt : in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Ve-

a *Non Templa*. Hæc Senecæ verba quamvis Templa,

pla, Sacrificia, & munera Diis offerenda negare videatur, tamen non ita intelligenda ſunt, tamquam ipſe ea omnia improbaverit, ſiquidem Lib.VII. *de Benef. Cap.IV.* reſpondens quæſtioni: *Quemadmodum poſſit aliquis donare ſapienti ſi omnia ſapientis ſunt?* Pluribus exemplis reſpondet, inter quæ hæc etiam leguntur: *Omnia Deorum ſunt: tamen Diis poſuimus donum, & ſtipem jecimus*: Et de Deorum cultu agens Lib.VII. *Natur.quæſt. Cap.30. Egregie Ariſtoteles ait, numquam nos verecundiores eſſe debere, quam quum de Diis agitur. Si intramus Templa compoſiti, ſi ad Sacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus* &c. Eodem ergo ſenſu, proportione tamen ſervata, Lactantius loquitur, non quia Sacras Deo ædes fabricare, munera, & dona offerre, ſuperfluum, aut ſuperſtitioſum putaverit, ſed ut doceret, non in hoc dumtaxat Dei cultum conſiſtere, ac errare proinde eos, qui putant, ſummo Numini voluptati eſſe res, quæ in pretio habentur, & quas etiam homo, ſi contempſerit, jure laudabitur. Quare immerito Langletius eum minus cordate, & minus caute heic locutum fuiſſe aſſerit, ſed prudentius egiſſet, ſi cum Tomaſſio hujus capitis doctrinam illuſtraſſet, quam Betuleii cavillationibus eam labefactaret.

4

Veſtes igitur, gemmas, & cætera, quæ habentur in pretio, ſi quis putet Deo chara, is plane, quid ſit Deus [a], neſcit, cui pu-

a *Quid ſit Deus*. Aldus: *quis ſit Deus*, & Sic etiam Schottus.

putat voluptati eſſe eas res, quas etiam homo, ſi quis contempſerit, jure laudabitur.

5

Quid ergo caſtum, quid Deo dignum, niſi quod ipſe in illa divina lege ſua popoſcit? Duo ſunt, quæ offerri debeant [a], donum, & ſacrificium, donum in perpetuum, ſacrificium ad tempus [b].

a *Quæ offerri debeant*. Al. *debet*. Al. *offerre debent*.

b *Donum in perpetuum, Sacrificium ad Tempus*: Vide heic, quomodo donum, & Sacrificium Deo offerendum dicat Lactantius, & quam ſapienter utrumque per variam rationem dividat. Illud quippe donum vere dicitur, quod jure repeti nequit ab eo, cui donatur. Sacrificium autem temporaria res eſt; quum aliter in Moſayca, aliter in lege gratiæ ordinatum ſit.

6

Verum apud iſtos [a], qui nullo modo rationem divinitatis intelligunt, donum eſt, quicquid auro, argentoque fabricatur, item quicquid purpura, & ſerico texitur. Sacrificium eſt victima, & quæcunque in ara cremantur. Sed

a *Verum apud iſtos* &c. Iſæus heic notat: *Errat Lactantius, nam quam ille refutat, ipſa eſt, & propria*

pria differentia inter donum , & Sacrificium &c. Sed , ut in noſtra ſuperiori nota vidimus, Lactantius ipſe differentiam aſſignat donum inter & Sacrificium , quam etiam paullo infra amplius declarat , neque heic differentiam illam , ſeu aliam refutat , ut perperam putavit Iſæus ; ſed Ethnicos reprehendit , qui Deos externis ſolummodo muneribus colebant , quum certum ſit , Deo nil gratum eſſe poſſe , quod ex corde puro , conſcientia bona , & fide non ficta non procedit : docente domino Matth. V. ℣. 23. *Si ergo offers munus tuum ad altare , & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te : relinque ibi munus tuum ante altare , & vade prius reconciliari fratri tuo , & tunc veniens offeres munus tuum .*

7

Sed utroque non utitur Deus , quia & ipſe incorruptus eſt , & illud totum corruptibile . Itaque Deo utrunque incorporale offerendum eſt , quo utitur . Donum eſt integritas animi [a] , ſacrificium , laus , & hymnus.

a *Donum eſt integritas animi.* Scilicet Donum Deo carum eſt ipſa Anima noſtra , gratia Dei perfuſa , ac omni integritate ſervata , quamvis theſaurum iſtum in vaſis fictilibus , ut inquit Apoſtolus II. ad Corinth. Cap. IV. ℣. 7. habeamus , ſecundum illud quod idem Apoſtolus ad Theſſal. ſcripſit Epiſt. I. Cap. V. ℣. 23. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia : ut integer ſpiritus veſter , & anima , & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur .*

mnus [b]. Si enim Deus non videtur, ergo his rebus coli debet, quæ non videntur. Nulla igitur alia religio eſt vera, niſi quæ virtute, ac juſtitia conſtat.

Quo-

---

b *Sacrificium laus, & hymnus: Mirum eſt*, inquit Rivetus apud Gallæum, *Quum heic de Sacrificiis ex profeſſo agat, cur omittat Sacrificium Miſſæ, ſi tempore Lactantii verum, & reale, ut loquuntur, Sacrificium fuiſſet in Euchariſtia*: Emanuel a Schelſtrate *in diſſ. de diſc. Arcani*: rationem de Lactantii ſilentio circa hocce myſterium reddens, Cap. IV. art. II. ait: *Secunda ratio ſupponit, libros iſtos non pro Gentilibus, ſed pro cathecumenis compoſitos fuiſſe, quum illa omnia contineant, quæ Cathecumenis ante Baptiſmum exponi ſolebant, ideoque iiſdem nomen divinarum Inſtitutionum datum fuiſſe*. At ex iis quæ ad lib. V. Cap. XX. Al. XIX. dixit Lactantius; & ex iis, quæ heic ab eodem innuuntur, videre poterat uterque, non omnino de Miſſæ Sacrificio ſiluiſſe Lactantium, imo Arcani diſciplinam ex ipſius loquendi modo optime confirmare poterat Schelſtratenus. Quid enim, quæſo, aliud eſt ſacrificium laudis, & Hymni niſi Miſſæ Cathecumenorum, qui ante panis, & vini conſecrationem a fidelium conventu recedere omnino debebant? nonne a Miſſæ initio uſque ad canonem omnia, quæ præcedunt, laudes Dei ſunt, & Hymni Euchariſtici? Nonne Chriſtus Dominus Sacrificium iſtud ſic inſtituit, ut non ſolum, peracta cœna, hymnum in gratiarum actionem dixerit, ſed etiam antequam inchoaret, gratias Deo Patri egerit? Per Sacrificium ergo laudis, & hy-

hymni totum id ſignificavit Lactantius, quod cathecumenis notum erat; ſcilicet laudes, quæ Deo ante Miſſarum ſolemnia decantabantur, & hymnum Euchariſticum, quem dum *gratias eidem ſemper, & ubique agere dignum, & juſtum eſſe, æquum inſuper, & ſalutare* in omnibus præfationibus quotidie canimus, quod a primis Eccleſiæ incunabulis fieri ſolitum fuiſſe, Lithurgiæ omnes ſatis, ſuperque demonſtrant. Vide Diſſ.xxxv. Cap.II. §.vi.

8

Quomodo autem Deus juſtitia hominis utatur, intellectu facile eſt. Si enim juſtus fuerit homo, accepta immortalitate [a], in æternum Deo ſerviet.

a *Accepta immortalitate*. I. E. *beatitate donatus*.

9

Homines autem nonniſi ad juſtitiam naſci, quum Philoſophi veteres, tum etiam Cicero [a] ſuſpicatur; diſſerens enim de legibus: *Sed omnium*, inquit, *quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi, nos ad juſtitiam eſſe natos*. Id ergo ſolum

a *Cicero*: In Lib. 1. cap. x. *de Leg.*

lum Deo exhibere, atque offerre debemus, ad quod capiendum nos ipſe generavit [b].

b *Offerre debemus, ad quod capiendum nos ipſe generavit*; Quum paullo ſuperius dixiſſet Lactantius: *nos ad juſtitiam eſſe natos*, heic de ſacrificio juſtitiæ debet intelligi, quod ait: *ſolum Deo exhibere, atque offerre debemus*; Confirmatur ergo quod nota ſuperiore diximus; nam in ſingulis Miſſarum præfationibus canere conſuevit Eccleſia: *dignum & juſtum eſt, æquum, & ſalutare nos tibi ſemper, & ubique gratias agere* &c. neque in alio cantico adunatum invenias duplex illud ſacrificii genus, laudis ſcilicet, & hymni, quod in unum, idemque coaleſcat juſtitiæ Sacrificium; Ideoque eadem Miſſæ Præfatio, non ſolum hymnus a latinis, ſed *Illatio* à Mozarabibus & *Conteſtatio* in Sacramentatio Gallicano apud Mabillonium appellatur, quoniam Sacerdos ex Fidelium Miſſæ ſacrificio adſtantium verbis infert, ac conteſtatur etiam ipſorum nomine dignum, & juſtum eſſe, Deo gratias agere, eumque collaudare; ut bene obſervat Cardinalis Bona apud Lambertinum, nunc Benedictum XIV. ſummum Romanum Pontificem T. IX L. II. c. VII. *de Sacr. Miſſæ*.

10

Hoc autem duplex ſacrificii genus quam ſit veriſſimum [a], Triſmegiſtus Hermes idoneus

a *Quam ſit veriſſimum*. Non probatur Vallæ iſte loquendi modus, quam tamen Bunemannus authoritate Boetii, ac Priſciani defendit.

neus teſtis eſt, qui nobiſcum, id eſt cum Prophetis [b], quos ſequimur, tam verbis quam re congruit. Sicque de juſtitia locutus eſt: *Hoc verbum* [c], *o fili, adora, & cole*, Cultus autem Dei unus eſt, malum non eſſe.

b *Cum Prophetis*. Al. Cum *Philoſophis*. Superius jampridem diximus, quomodo Lactantius Prophetæ vocabulum non ſolum pro veris, ſed etiam pro falſis, exemplo Scripturarum interdum uſurpet.

c *Hoc verbum* &c. Hæc habentur in Pimandro Hermetis *Dial.* XII.

11

Item in illo ſermone perfecto [a]: Quum exaudiſſet Aſclepium quærentem a filio ſuo, utrum placeret patri ejus, offerri thus [b], & alios odores ad ſacrificium Dei, exclamavit: *Bene, bene ominare* [c]. *Eſt enim maxima impietas, tale quid de uno illo, ac ſin-*

a *Item in illo ſermone perfecto*. I. E. in Aſclepio Cap. ultimo. Al. *in alio ſermone perfecto*. Al. *profecto*.

b *Offerri thus*: Schottus: *proferri*.

c *Bene, bene ominare*: Pro *hominare*. Al. habent *ominate* pro *Aſclepi*: *Aſclepiades*. At Bon. lepido ſatis errore pro *ominare* exhibet: *ſomniare*. Ex verſione Apulejana altius verba repetit Betulejus, & Cellarius, quæ ſic ſe habet: *De adyto egreſſi, quum Deum orare cœpiſſent, in Auſtrum reſpicientes erant. Sole*

ſingulari bono in animum inducere. Hæc & his ſimilia huic non conveniunt. Omnium enim quæcunque ſunt, plenus eſt, & omnium minime indigens. Nos vero gratias agentes, adoremus, cujus ſacrificium ſola benedictio eſt d.

Sole enim occidente; quum quis Deum orare voluerit; illuc debet reſpicere: ſicut & Sole oriente, in eum, qui ſubſolanus dicitur. Jam ergo dicentibus orationem: Aſclepius ait ſubmiſſa voce: o Tati, ſuggeramus Patri, quod juſſerit, ut thure addito, & pigmentis precem dicamus Deo. Quem Triſmegiſtus audiens, atque commotus, ait: Melius, melius ominare, o Aſclepi; hoc enim ſacrilegiis ſimile eſt, quum Deum roges thus, atque cætera incendere. Nihil enim deeſt ei, qui ipſe eſt omnia; ſed nos agentes gratias, adoremus. Hæ enim ſunt ſummæ incenſiones Dei quum aguntur grates a mortalibus. Heic Codex noſter iterum continuat. Aldus Tò *bene* non geminat.

d *Cujus ſacrificium ſola benedictio eſt. Recte ergo verbo ſacrificari oportet Deo.* Sic lectionem hanc ex Bon. Codice, & Aldi emendatione, reſtituimus ubi Al. legunt: *Hujus ſacrificium .... & recte; verbo enim* &c. Iterum iterumque, quæ ſupra a nobis dicta ſunt; his confirmantur; totus enim heic Lactantius eſt in gratiarum actione inculcanda, ultra quam de Altaris ſacrificio, nihil Cathecumenis, ac paganis fas erat revelare, ut ſuperius annotavimus.

12

Recte ergo verbo ſacrificari a oportet

Deo, ſiquidem Deus verbum eſt [b]. Summus igitur colendi Dei ritus eſt, ex ore juſti hominis ad Deum directa laudatio: quæ tamen ipſa, ut Deo ſit accepta, & humilitate, & timore, & devotione maxima opus eſt, ne quis forte integritatis, & innocentiæ fiduciam gerens, tumoris, & arrogantiæ [c] crimen incurrat: eoque facto, gratiam virtutis amittat.

---

a *Verbo ſacrificari* &c. Non utique verbo humani oris, ſed verbo, quod, carne humana aſſumpta, obtulit ſe Deo Patri hoſtiam pro peccatis.

b *Ut ipſe confeſſus eſt*: Scilicet in 1. Cap. Evangelii S. Johannis: *In principio erat Verbum* &c.

c *Tumoris, & arrogantiæ*: Reſpicit ad illud Apoſtol. 1. ad Cor. XI. ℣. 28. *Probet autem ſe ipſum homo* &c.

13

Sed ut ſit Deo charus, omnique macula careat, miſericordiam Dei ſemper imploret: nihilque aliud precetur, niſi peccatis ſuis veniam, etiamſi nulla ſint [a].

---

a *Etiamſi nulla ſint*. Videlicet in memoria ſacrificantis, qui de occultis, & expiatis eſſe non debet ſine metu.

14

Si quid aliud deſideraverit, non eſt opus di-

dicto ſcienti [a] quid velimus. Si quid ei boni evenerit, gratias agat: ſi quid mali, ſatisfaciat [b], & illud ſibi ob peccata ſua fateatur eveniſſe, & nihilominus etiam in malis ſuis gratias agat, & in bonis ſatisfaciat [c]: ut idem ſit ſemper, & ſtabilis, & immutabilis, & inconcuſſus. Nec tantum hoc in templo putet ſibi eſſe faciendum [d], ſed & domi, & in ipſo etiam cubili ſuo.

---

a *Non eſt opus dicto, ſcienti* &c. Attende, Lector, & hinc noſce quam vera ſint, quæ hactenus a nobis ſunt expoſita.

b *Si quid mali, ſatisfaciat*. Scilicet per pœnitentiam, ad quam agendam, ut S. Auguſtinus ait in libro, quem de ea ſcripſit: *non ſufficit mores in melius commutare, & a male factis recedere: niſi & de iis, quæ facta ſunt ſatisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.*

c *Et in bonis ſatisfaciat*; Id eſt, & Deo gratias reddat, & bonis, a Deo ſibi datis, bene utatur, iis largiendo, qui iiſdem indigent.

d *Nec tantum hoc in templo putet ſibi eſſe faciendum.* Ergo Templa erant, in quibus fieri hoc conſueverat, quamvis non in illis dumtaxat, ſed etiam domi, ac in proprio cubili pœnitentiã agere debeamus. Heic autem de æde ſacra omnino templum intelligendum eſt, quum poſt pauca de templo, quod quiſque ſumus loquatur.

15

Secum denique habeat Deum in corde

ſuo

ſuo conſecratum [a], quoniam ipſe eſt Dei templum.

---

a *Conſecratum*. Nuſquam apud Latinos caſte ſcribentes: *Deum conſecratum*: dici reperies; Non enim Deus; Sed Deo conſacrantur res, quæ illi acceptæ creduntur. Apud Scriptores vero Eccleſiaſticos, *Deum conſacrare* idem valet, ac corpus dominicum conficere ex pane, & ſanguinem ex vino utrumque ex verborum vi tranſubſtantiando. Vide P. Sala ad *Cardin Bon. Lib. I. Rer. Lithurg. Cap.* xxv. §. iv. *n.* 3. *ſeq.* Lact. de Ir. cap. xxiii. 28. *Deus in corde conſecramus*. Minucius felix pag. 33. *vos plane, qui ligneos Deos conſecratis*. Et pag. 36. *In noſtro imo conſecrandus eſt pectore*.

16

Quod ſi Deo patri, ac domino hac aſſiduitate, hoc obſequio, ac devotione ſervierit, conſummata, & perfecta juſtitia eſt, quam qui tenuerit, hic (ut ante teſtati ſumus) Deo paruit, hic religioni, atque ſuo ſatisfecit officio.

FINIS.

619830

38

Digitized by Google